

P V I S

1 6 1 3

1. Eusebii Aikjzereri de mystico et incruento Ectia Sacrificio.
2. Lucae Bachmeisteri Theor. de Sacramentis.
3. Grynai de Errorum Antichristianorum origine.
4. de Eucharistica Controversia Disputatio.
5. Elenchi Paradoxorum Ubiquitariorum.
6. Pelargi de Fractioe Panis Disputatio.
7. Calamini de gratuito foedere Dei cum Homimibus Disputatio.
8. Coclemii de Abstracto et Concreto Disputatio.
9. M. Casparis Ulrici Disputatio de Theologia.
10. de necessitate Ministerii.
11. de SS. Trinitate.

EX LIBRIS
 ILLVSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

MF 42

XI
DOCTRINA
DE SS. TRINI-
TATE CERTIS THESI-
BUS ET ECTHESISIBUS
comprehensa

ET
*Ad religiosè disputandum proposita in Illu-
stri Illustriss. PPr. Anhaltinorum Gy-
mnasio Serbestano,*

à
M. CASPARE VLRICO SS.
Theologiæ ibidem Professore P.

RESPONDENTE
JOHANNE PHIBONE, HOIMEN-
si, scholæ hinc curialis hypo-
didascalo,

*In Acroaterio publico, horâ antemeridiana
VII. diei III. Maij.*

S E R V E S T Æ
Impressa typis Zachariæ Dörfferi.
ANNO M. DC. XI.

2

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs or sections, with some lines being more distinct than others. A horizontal line is visible near the bottom of the page, possibly indicating a section break or the end of a section.





3
VERÆ NOBILITATIS, VT
ET DOCTRINÆ ET VIRTVTVM
PRÆCLARA LAVDE EXCELLENTI VIRO,
Dn. Levino à Börstell, hæreditario Domino in VVe-
steregel, &c. Consiliario Anhaltino gravissimo,
Domino & fautori suo honorando.

S. P.

Nobilissime & præstantissime vir,
postquam annis ab hinc circiter septende-
cim intueri in vultu tuum humanitatis ple-
nissimum, tuoq; colloquio, suavitate refer-
tissimo, frui primùm licuit, gratulatus tum mihi sum,
& quoties oblatam à te amicitiam amplectendi dein-
ceps & pro virili mea parte non planè indignum eâ me
gerendi occasio data fuit. Nec unquam fefellit me bo-
na de tuæ Str. Candore & integritate concepta opi-
nio: à pluribus enim quem audiveram prædicari Le-
vinum à Börstel, illum etiam, videlicet virum verè no-
bilem, pium ac sincerum, nec non prudentem atq;
humanum, & comiter severum, adeoq; politicum Chri-
stianum, qui blandus virtuti, infensus sceleri, depre-
hendi. Sis salvus (quod & opto fratri tuo Nobiliss. &
Magnifico viro Dn. Cunrado à Börstell, Proprincipi
Tetrarchiæ in inclyto Principatu Anhaltino Bernbur-
gensis gravissimo, fautori & benefactori meo singula-
ri) vir nobilissime, Reip. Christianæ quàm diutissimè,
& præstate amplius, qualem te hæctenus Viri boni a-
gnoverunt, senserunt & collaudârunt: Sic veræ & vetu-

4
stæ nobilitatis exemplum constans ac sincerū supra vul-
gus nobilium, & multos virtute incognitos atq; ignobi-
les, eris. Nam.

Tota licet veteres exornent undiq; ceræ

Atria: nobilitas sola est atq; unica virtus.

Ut autem publicum aliquod meæ erga te observan-
tiæ & conservatæ tuæ Str. memoriæ, quando Amb-
dorfiana ex diœcesi Serbestam revocatus fui, testimoni-
um extaret, non dubitavi hæc Theses, ceu quoddam
βιβλίδιον de summo & augustissimo mysterio S. S. Trini-
tatis à me conscriptum, tuo nomini nuncupare: tum
quòd sciam, te hujusmodi lucubrationes & exercitia
vehementer probare; in quibus illud probandum maxi-
mè:

Disputet, ingenuè candor nisi disputet ipse:

tum ut ad alios etiam tuæ erga me benevolentia indiciū
facerem. Quod meum studium ut in bonam interprete-
ris partem, vir nobilissime, & rectè mente & corpore
valeas, oro & opto seriò. Serbestæ Dominicâ Invocavit,
Anni M. DC. XI, quæ, ærà Christianâ M. D. L I X. Mu-
nerstadij ad Luram, quod est oppidum Ducatus & Epi-
scopatus Herbipolensis in Francia Orientali, natalis
mihi fuit.

M. Caspar Ulricus

DISPU-



DISPUTATIO DE UNO,
vero atq; æterno D E O.

I.

Secundum B. Athanasium in Oratio-
nis, cui titulum fecit: *Vnum esse Christum*; exordio,
debet eos, qui semel resilierunt à gentili errore, & u-
num esse Christum omnium Deum, agnoverunt, non
amplius adherescere creaturis: vel res conditas pro Dijs habere,
aut Deos facere, sed potius agnitum creatorem colere, qui est be-
nedictus in secula, To. 1. p. 518. Ἀγὼν δ' Ὀσεβείας τὸ γινῶναι τὸν Θεὸν,
Hermete teste in libro, quem Clavem inscripsit. E contra, τὸ μέγα-
τον κακὸν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἢ πρὸς τὸν Θεὸν ἀγνοσία, ut titulus octavi
apud eundem libri habet: quod maximum malum τρισηκκλίας cir-
ca finem libri 10. vocat.

II.

Quapropter nobis etiam cum omnibus Christofidelibus, in
Ecclesia presertim natis, necessarium est, ut qui velimus à vero
Deo & uno Christo non aberrare, ipsum Deum, de se loquentem,
audiamus, fidem eidem loquenti religiosissime adhibentes:
quandoquidem se talem, qualis est, patefecit, Vnum nimirum,
& tamen Patrem, Filium atq; Spiritum sanctum, & sic trinunum:
unum, quò ad essentiam; trinum, quod ad tres ὑποστάσεις, quas
in Latina lingua personas vocant, attinet.

III.

Hæc ex Oraculis Spiritus sancti in Codice Prophetarum &
Apostolorum ubi didicimus, gratà mente acquiescamus, certi de
utroq; primò quòd Deus ipse per Prophetas & Apostolos, & in ijs
locutus fuerit 2. Sam. 23. v. 1. 2. 3. 2. Cor. 13. v. 3. 1. Petr. 1. v. 11.

A 3.

2. Pet.

6
2. Pet. 1. v. 21: Deinde quòd mutari ac mentiri nesciat, Num.
23. v. 19. Malach. 3. v. 6. 2. Ti. 2. v. 13. Heb. 6. v. 18. ideoq; im-
possibile sit, alium, quàm qualem se Ecclesia sua in verbo & ope-
ribus patefecit, Deum esse.

IV.

Reijcimus ergo infructuosas, immo perniciosas contētiones, qui-
bus gentiliū Philosophi nonnulli & heretici indulgentes, à vero
Deo, quem rationis caliginosa angustis constringere veluerūt, ab-
errarunt, qui vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obte-
nebratum est desipiens cor eorum, cum se profiterentur esse sapien-
tes, stulti facti sunt, Rom. 1. v. 21. Haud enim Petrus beatus à
Domino predicabatur, quòd ex carne & sanguine, sed ex Patris
cœlestis revelatione veram sapientiam de Deo & filio huius ade-
ptus esset, Matth. 16. v. 17. V.

Ideo nos etiam, quem ex proprio & infallibili ipsius verbo
agnovimus unum verum Deum, τὸν τεῖς ὑπὲς αἰῶν, & Christum, ut
personam ad officium mediatoris unctam, ac missam, secundum
idē verbū devotè & religiosè, & cum cordis credentis πλήροφροῦ
colimus & invocamus, ut Nazianzenus ad 150. Episcopos ait: Nos
Trinitatis adoratores, perfecti perfectæ Divinitatis clientes &
supplices, nec eò audacia prorumpentes, ut quicquam eorum, quæ
supra nos sunt, ad nos detrahamus ac deijciamus, nec ita super-
bi & arrogantes, ut, quod impia & nefaria lingua, Deumq; pu-
gna laceffentes, faciunt, Dominum in eandem nobiscum servi-
tutem redigamus. Quod pià illà B. Athanasij. sententia, quæ in
superius allegata de vno Christo Oratione extat, hisce verbis in-
culcatur: Quorsum disceptationes & verborum pugna? Utili-
tas ipsa consistit in credendo, colendo, & tacitis adorationibus,
Tom. 1. pag. 519.

VI.

De persona autem missa, hoc est, Christo incarnato alibi in
specie differendi locus erit: jam dabimus operam, ut contra Anti-
trinitariorū impietatem atq; amentiam, τὴν ὑπὲρ πάντων πνευμά-
των, ut Athanasius, ad vitam solitariam agentes scribit, To. 1. p.

627. ex

627. ex vera fidei & religionis potissimum norma, qua sacra scriptura est, exploratè constet, unum tantum verum Deum, quò ad essentiam, & eundem tamen trinum in personis, aeternum scilicet Patrem, & coaeternum Filium, coaeternum item Spiritum sanctum esse.

VII.

Vbi dua praemittende sunt regulae, quae totam hanc disquisitionem, intra metas verbi Dei institutam, gubernare debent, ne temere, insolenter, ac sine fructu, immo cù animae salutis dispendio, in hujus doctrina, quae mysterium mysteriorum est, adyta irreverenter irruamus, & ex paradiso per angeli strictam romphaeam ejecti repellamur & confundamur in aeternum.

VIII.

Prior regula haec est: De Deo non est aliter cogitandum, credendum ac loquendum, quàm sicut in verbo suo se patefecit. Extra significantiam enim sermonis est, quicquid ultra queritur, ut Hilar. lib. 2. & 4. de Trinit. scribit. Et secundum Augustinum lib. 1. de Trinit. nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid invenitur.

IX.

Alter: De Deo non nisi cum pœnitentia & precibus reverenter ac devotè cogitandum ac loquendum: quia profundi huius mysterij majestas verecunda potius humilitatis affectum, quàm temerariam audendi praesumptionem requirit.

X.

Prior regula hunc duplicem habet usum: Primò acuit diligentiam ad verbum Dei rectè scrutandum, Ioh. 5. v. 39. Deinde ad modestiam nos flectit, ne scrutando naturam & majestatem Dei, Phaëthontis instar altius feramur, quàm sese in verbo patefacto demisit & aperuit nobis. Deus enim excelsior vel sublimior est omnibus operibus suis, Sir. 3. 4. v. 30. Ideo qui scrutatur majestatem, scilicet ultra metas patefactionis ruens, consumetur ab ea, Prov. 25. v. 27. Praestat ergo hic curiositati docta ignorantia, de qua Augustinus in Epistola 121.

Quemad-

XI.

8
 Quemadmodum enim nemo est, ut Nazianenus Orat. 2. p. 320. de Filio pluribus inculcat, qui aërem totum unquam hauserit, ita Dei naturam nec mens unquam ulla prorsus concepit, nec vox ulla complexa est. Quò Basilij memorabilis illa sententia referatur ex lib. 5. contra Eunominum, sceleratum Ariomanitam: Quae iuvant eos, qui per fidem valent, ea ijs officiunt, qui circa quaestiones ac inutiles contentiones agrotant. Sicut enim nemo solem videbit, absq; solis apparitione; ita nec Deum quisq;, absq; Dei patefactione, rectè agnoverit. Ideo sapientissimus ille Simonides Hieroni, Tyranno Siculo, percontanti, quid esset Deus, bidui quadriduiq; deliberandi spacio aliquoties petito, tandem respondit: Quanto diutius considero, tantò minus, quid sit Deus, intelligo.

XII.

Neg; altera regula usu caret: quin potius & hic duplex est. Nam primò emergit ex ea admonitio, ne illotis, quod aiunt, manibus irruamus in summi huius mysterij contemplationem, temeritatis poenas non leves daturi, quoties absq; precatione cordis, meditationem doctrinae de Deo, qui habitat in luce inaccessa. Tim. 6. v. 16. aggredimur. Nec enim Deus nisi per Deum intelligi potest, secundum Hilarium, lib. 5. de Trinit. ex Irenaei lib. 4. c. 14.

XIII.

Deinde de praxi huius doctrinae eadem regulà admonemur. Otiosos enim & audaces speculatores, & qui irreverenter in tantis mysteriis investigandis, cum profanatione nominis divini, contra tertium praeceptum, se gerunt, & de scientia tantum, quàm ὡς νοσοῦντες περὶ θεῶν (eis ἡ) λογομαχίας. Tim. 6. v. 4. inflantur. Cor. 8. v. 1. non autem de conscientia & respicientis cordis pietate sunt solliciti, Deus execratur & damnat. Quae de re sapienter & graviter monet Gr. Nazianzenus Oratione 1. Tom. 1 p. 289. de Theologia adversus Eunomianos: Non est cuiusvis inqui-

inquiens, de Deo differere: Non adeò vilis ac protrita hæc res est, & eorum, qui humi adhuc reptant. Ad dam etiam, inquit ulterius, non cuiusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore, & apud certos homines, & aliquosq; hoc faciendum est.

XIV.

Seipsum etiam ibidem explicans scribit: Istis licere de tanto mysterio disputare, qui primò contemplandi acumine excellunt: secundò, corpus & animum à vitiorum sordibus purgârunt. Tunc temporis autem disputandum, præsertim de Deo, censet, cum animus ab alijs curis vacat & liber est, hocq; coram ijs, quibus res cordi est, & qui nequaquã post Circeses ludos, & post expletum ventrem, inepta nugacitate rem prosequuntur: Deniq; de ijs, quæ ingenij nostri modum, captumq; auditoris non excedunt.

XV.

Proinde μετ' ἑλαβείας hæc capita de Deo in considerationem jam veniant: Primò, An sit Deus: Deinde præcipuorum nominum, quæ sacra scriptura Deo assignat, recensio. Tertio Definitio. Quarto eiusdem probatio, & ex sacra scriptura confirmatio: Vnum scilicet tantum esse Deum essentiã, & tres in uno vero Deo personas, nimirum Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

XVI.

Indignum sanè & supervacaneum, ipso Cicerone, lib. 2. de Natura Deorum, teste, videri poterat, moveri, in Ecclesia An sit Deus. præsertim Christiana, hanc questionem, An videlicet sit Deus? nisi empæctis & Epicureis semper scateret orbis, qui Dei religionisq; nomen, saltem hominum melancholicorum, vel catorum politicorum figmenta & inventum esse existimant, quibus, ceu terriculamentis, plebs imperita & indomita retineri in officio queat, secundum Psa. 14. v. 1. & 53. v. 2. nec non, quem Statio assignant, versum: Primus in orbe Deos

B

fecit

70
fecit timor: Vt scilicet, quemadmodum Cic. lib. 1. de Natura
Deorum opinionem hanc notat, quos ratio non posset, eos ad
officium religio duceret.

XVII.

Certissime autem esse Deum, ceu mentem aeternam, sa-
pientem & omnipotentem, multiplici ratione tradit & liber
natura, hoc est, totus mundus; & liber gratia, hoc est, ver-
bum divinitus patet factum: ille imperfectius, hic perfectius,
non solum τὸ ὄν, id est, quod sit, verum etiam τὸ τί ὄν, id est,
quis, qualis ac quae ejus voluntas sit, docens & declarans: ut
& Damascenus lib. 1. Orth. Fid. c. 1. pluribus monet.

XVIII.

Esse Deū pro-
batur ex libro
natura.

Quò ad librum natura, de quo Hieronymus in caput
1. Epistola Paulina ad Galatas affirmat, perspicuum esse, na-
tura omnibus Dei notitiam inesse, ille ipse de Deo testatur
vel in πανεργόσῳ, hoc est, in universo mundo: vel in μικρο-
κόσῳ, hoc est, in homine, ceu parvo mundo.

XIX.

Univerſus mundus testatur, esse Deum, tanquam opifi-
cium & effectus, qui arguit esse sui causam, & architectū a-
liquem potentissimum, sapientissimum atq; optimum: & pri-
mò quidem à serie causarum, quæ in infinitum ascendere &
excurrere nequit, sed, supra extimum & supremum cælum
nil nisi aeternum & immensum numen, ut primam omnium
causam, esse concludit. Vt enim numeri unitas singularis, &
lineæ punctum, cujus pars nulla, principium est: sic seriei
causarum omnium principium primum, prima causa, hoc est,
aeternus Deus est, neq; ultra omnes creaturas aliud, præter
creatorem Deum, fingi repeririq; potest.

XX.

In πανεργόσῳ deinde etiam ordo rerum arguit esse
Deum, qualis in exercitu siderum, in elementorum distinctio-
rum consinjs & communicatione, in anni distinctis partibus,
omni-

77
omniumq; terrâ nascentium, æquè ut pecudum & hominum
conservatis ab initio speciebus; ut & in hierarchijs, concin-
na conspiratione ad hominum societatem consensum & opem
afferentibus, est manifestus. Qui constans ordo nec casu,
neq; ex diversissimarum rerum natura, neq; à creatura ali-
qua, sed à mente aeterna sapienti atq; immutabili profici-
scatur, & conservetur oportet. Ideo Deus, $\Theta\epsilon\omicron\varsigma\ \alpha\alpha\lambda\epsilon\gamma\sigma\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma,$
 $\alpha\epsilon\delta\delta\ \epsilon\iota\gamma\eta\nu\varsigma,$ esse dicitur 1. Cor. 14. v. 33.

XXI.

Non minor vis est in duratione ordinis, de quo diximus,
perpetua ad demonstrandum, esse infinitum numen & omni-
potentem Deum, à quo vigor & vita rerum, ut essentia ipsa,
manat, & $\epsilon\nu\delta\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\iota\alpha\iota$ in natura accipit, Sir. 16. v. 25. Act. 17.
v. 28. Finitæ enim & mutabilis causæ infinitus effectus, &
immutabilis diu rerum stabilitas esse nequit: Vnde Philoso-
phi aliqui conjecturam perperam fecerunt, mundum ipsum
æternum esse, ac principio & fine carere.

XXII.

Ex ordine natura durabili certus & ordinatus resultat
finis, qui & ipse de mente aeterna, sapienti, bona, & omnipotē-
te, testatur. Solius enim aeternæ & omnia creantis & guber-
nantis mentis est, certos rebus omnibus constituere fines. Ideo
coram Deo nihil est mirabile, & omnia tempore suo probata
erunt, Psa. 33. v. 11. Is. 14. & 24. Sir. 39. v. 24. 39. Econtra homo
frequenter proponit, Deus autem disponit, ut vulgo ex Pro-
verb. 16. v. 1. 2. 9. dici solet: nec semper votis & consilijs ho-
minum successus & eventus respondet, cum non sit hominis
via ejus, Jer. 10. v. 23. id quod & versiculi testantur:

Consilijs hominum, & passis per tympana pannis
Casus inest, ratio non ibi certa valet.

XXIII.

Hæc omnia tali Syllogismo complexus est Chrysippus, re-
ferente Cicerone lib. 2. de Natura Deorum:

B 2

Si est

12

Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius.

Atqui res caelestes omnesque haec, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt.

Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius.

XXIV.

Rationes ex homine desumptae, quae demonstrant esse Deum.

Quantum ad τὸν μινεργισμον, qui homo est, de quo αἰθερωπολογίαν eruditè scriptam apud Ciceronem quoque lib. 2. de Natura Deorum legere licet, ex hoc aequè multis modis demonstrari potest, quod verissime sit Deus, & quidem per rationes, quae vel in homine, vel circa hominem reperiuntur.

XXV.

In homine primò occurrit anima rationalis ipsa, ut formam & Συμμετρίαν, nec non pulcritudinem & vires in corpore & singulis istius partibus harumque compage & conspice hic taceam: cuius facultates in mente, voluntate & corde loquuntur & testantur, universum orbem & omnes hominum ordines, conditorem sapientissimum & omnipotentem, ne causa deterior effectu existimetur, habere.

XXVI.

Accedit penus & amplitudo memoria, quae signum immortalitatis est, & nova ac vetera, quae ex hominum noticia omnino deleta videri poterant, instar scribe industrii è thesauro suo depromit, Matth. 13. v. 52, licet apud multos, praesertim senes, memoria ἀφαιρέσειν patiatur, & quod signum mortalitatis est, μωρῶς nonnunquam fiat.

XXVII.

Tertia ratio ex homine potissimum etiam petita respicit notitias principiorum, tum speculabilium, tum practicum, quae neque ex corruptibili corporis temperamento, neque ex se ipsis in anima oriri possunt: nihil enim sui ipsius causa est. Ergo longe nobilior, & quidem omniscia atque omnipotens natura.

73
rara necessario est, videlicet Deus ipse, qui tantas intelli-
gentie vires, & tam lucida sapientie semina, non uni tan-
tum, sed omnibus hominibus indidit: de quibus Apostolus
agit ad Rom. 1. v. 19. scribens: τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν
ἐστὶν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσε.

XXVIII.

Quarto experientia inter omnes sanâ mente praeitos
idem docet, & Deum authorem, & vindicem justitiae, ho-
stem verò injustitiae, esse ostendit. Quò referri debet Cicero-
nis secundus liber de natura Deorum, lectu sanè dignissimus.
In quo si Deum potius, cujus interdum facit mentionem,
quàm Deos, esse, demonstrare instituisset, opera pretium re-
ctius fecisset.

XXIX.

In eo autem libro sic scribit: Inter omnes omnium gen-
tium constat: omnibus enim innatum est, & in animo qua-
si insculptum: esse Deos. Quales sint, varium est; esse, nemo
negat. Et lib. 1. Tuscul. Quest: Firmissime hoc afferrì vide-
tur, cur Deos esse credamus, quòd nulla gens tam fera, ne-
mo omnium tam immanis sit, cujus mentem non imbuerit
Deorum opinio.

XXX.

Quintum ex homine testimonium de doctrina, quòd
Deus sit, promanat ex cuiusq; non occæcati conscientia, qua
letatur de rectè factis, & de admissis peccatis tristatur, licet
quis solus in tenebris prævaricatus fuerit, neq; de eo, ut oc-
culto delicto, ulli mortalium quicquam constet. Ergo sit Deus,
ὁ καὶ διαγνωστὴς καὶ τὰ αὐτοῖς, oportet, qui acrem & veren-
dum iudicij sui inevitabilis exactorem cordibus hominum
indidit. Duo enim immediatè a tribunalia sibi Deus paravit,
unum secretum in conscientia hominum, alterum apertum
in cali nubibus, in quibus apparebit ad catholicum iudicium,
quod secundum conscientia cuiusq;, ubi Deus etiam pro tri-
bunalè

74
bunali sedet, sensum & sententiam, ex norma verbi latam, publicam executionem habebit, secundum illud, In lucem profert omnia clara dies, Iohann. 12. v. 18. Luc. 8. v. 17. Rom. 2. v. 15. ex libro Sapientia cap. 4. v. 20.

XXXI.

Rationes ex
iis, quae ho-
mini acci-
dunt.

Circa hominem etiam sunt, quae rationes evidentes exhibent, quibus evincitur, esse Deum: Videlicet primò opera eximia & saepe miraculosa, quae faciunt ad propagationem & conservationem generis humani. Deinde pœnae fatales, & interdum etiam prodigiosae, ad certorum individuorum destructionem immissae.

XXXII.

Quemadmodum enim hominis creatio & generatio, huiusq; continuatio, est opus Dei: ita non, nisi Deo volente, opus manuum suarum destrui, aut ullâ vi concussum corrumpere potest. Nec est malum in civitate, quod non fecit Dominus, Amos 3. v. 6. Deus enim omnium scelerum vindex & ultor est, secundum illud Psa. 58. v. 12. Utiq; est Deus iudicans in terra, Huic nemo potentissimorum tyrannorum impune oblectatus fuit unquam: nec dicat quispiam: Quid facis? Deo quippe non revocante iram suam, sub ipso incurvantur adiutores superbiae, Hiob. 9. v. 12. 13.

XXXIII.

Nec inter gentiles saniores ambigebatur de divina vindicta, quam etiam versus hic, ex statua ad Pausaniam, Spartanorum Ducem, sonora voce editus, confirmat: εἰς χεῖρας αἰῶνος, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις, hoc est: Ad pœnam properes, affert injuria damnum. Ira Dei enim est ignis consumens, Vindicibus flammis sibi qui contraria delet, Ipseq; iustitiae regula sola manet, Deut. 4. v. 24. Hebr. 12. v. 26. Nahum, 1. v. 6.

Cui

XXXIV.

Cui subscribit etiam generalis regula, ab Herodoto in Euterpe proposita: ἡ Τρωϊα παρωλεθερα δπολγμένη, κατὰ Φα-
νὲς τὸ τοῖς ἀνθρώποισι ἐποίησε, ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων
μεγάλα εἰσὶν καὶ αἱ ἡμιωροὶ αὐτῶν τὸ θεῶν. Et haecenus de de-
monstratione, petenda ex libro natura.

XXXV.

Esse Deum, in super liber gratia, hoc est, sacra scriptura Esse Deum,
abunde testatur, in qua singuli ferè apices, tum quò ad planum est ex
verba, tum quò ad facta, ostendunt, quis & qualis sit Deus: libro gratia.
ideoq̄, esse verissimè Deum, eo ipso planum faciunt. Qua-
re, ut praemissæ rationes, ex lumine natura desumptæ, oppo-
nuntur omnibus atheis, empæctis & Epicureis, qui scriptu-
ræ sacræ non sunt gnari, aut eam fastidiunt, nec ejus lu-
ce digni sunt: ita Deus ipse, in tota sacra scriptura, sonora
ac viva voce, literis inibi expressa, de seipso testimonium
locupletissimum perhibet, adeò ut, quoties fit mentio unius
Dei, aut Patris, Filij ac Spiritus sancti, vel ejus volunta-
tis in fœdere legali aut Evangelico consignata, ut & operum
creationis ac reparationis hominum, nec non stupendorum
maximè miraculorum, toties huic etiam questioni satisfac-
iat.

XXXVI.

Execrabile ergo nomen est omnium, qui, Deum esse,
effrontes negarunt, aut aperte dubitarunt: qualis fuit
Protagoras, Athenis, ob impium & scepticum suum de Dijs
dogma, ejectus: Similiter Theodorus Pyrrhi discipulus,
cognomento ἀθεῶν vocatus, quòd ipsi semper in ore, in-
faustus & impius hic sermo fuerit: ἄθεον εἶναι τοὺς περὶ
θεῶν λόγους. Nos contra probamus sententiam illam reli-
giosam Mercurij Trismegisti lib. ii. fol. 236. de mente ad
Tatium: νόσθ' ἡμετέρας μεγάλης ψυχῆς, ἀθεότης: Vt & illud Cice-
romis

ronis in fine libri 2. de natura Deorum, ex Platone haustum:
Mala & impia consuetudo est contra Deos disputandi, siue
ex animo id sit, siue simulatè.

XX XVII.

De nominibus
DEI.

Nomina Dei aut Hebraea, aut Graeca, vel Latina, hic
potissimum expendi solent, ita tamen, ut verecundè mens
pia cogitet, Dei infiniti naturam nulla appellatione finita
circumscribi posse, ut rectè statuit Basilus lib. 1. p. 109. con-
tra Eunomium: Vnum quidem, inquit, nomen inveniri
non potest, quod totam naturam Dei complexum sufficiat
satis edere. Plura verò & varia in sua qualibet significatio-
ne, etsi tenuem omnino atq; pusillam totius, nobis tamen suf-
ficientem agnitionem congerunt. Θεὸν μὲν νοῦσαι χαλεπὸν,
Φεῖσαι δὲ ἀδύνατον, ut inquit Hermes Trismegistus libr. ad
Asclepium 20: ubi paulò post & hac exclamatione utitur:
ἐνοῶμαι, ὡ τὰ ἐνοῶμαι, ὃ ἐξέπειν ἔδυνατόν. Τὸ δ' ἴσθιν ὁ
θεὸς, ἔ τὸ ὄνομα ἔδυνασαι αἰθρωπίνω σώματι λαληθῆναι.

XX XVIII.

Nomina quae Deus sibi in sancta lingua indi voluit, ex-
tant collecta in Epistola Hieronymi ad Marcellam, de decem
Mysticis vocabulis, quae Deum describunt, vel ab huius essen-
tia, vel à precipuis attributis & dominatione. Inter haec au-
tem omnia, unum est ἐξάρετον, adeoq; soli vero Deo propri-
um, Psal. 83. v. 19. Ies. 42. v. 8. quod à quatuor Hebrais literis
vocatur τετραγράμματον, id est, quadriliterum: Cuius tan-
ta reverentia semper fuit, ut, cum propriis & germanis
careat punctis, plurimi ausi non fuerint idem nomen efferre,
appellantes potius id, ἀνεκφώνητον, ἀρρητον, ἀφραστον, ἀλεκτον,
ἀφρευκτον: alij deniq; ἀπόρρητον, καὶ ρηθῆναι μὴ δυνάμενον:
à Capnione mirificum inscriptum: Quò & illa ἀρρητα Pauli
ab aliquibus referuntur 2. Cor. 12. v. 4.

XX XIX.

Quod ipse Galatinus etiam, non superstitiosis Rabinis,
sed

17

Sed antiquis verecundantibus Iudeis asseribit lib. 2. c. 10. his
verbis: Antiqui Iudaeorum à Mose, illo magno edocti statue-
runt, hoc nomen minimè proferri, sed, ubicunq; invenire-
tur, loco eius nomen Adonai, quod DOMINVS inter-
pretatur, proferri debere: Hinc Iacob Patriarcha, de no-
mine Dei quarens, abnueutis Domini responsum accipit,
Gen. 32. v. 29, ut & Moses, Exod. 3. v. 14. nec non Manoah,
Iudic. 13. v. 18. Quò illud de nomine Dei Patris ac Filij etiam
referatur, absolutè scilicet & extra patefactionem & offi-
cium huius considerati, Prover. 30. v. 4. Quod est nomen hu-
ius? & quod nomen filij ipsius? Si noveris? Idem dicitur ha-
bere nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse, Apoc.
19. vers. 12.

XL.

Nomina Dei apud Græcos, quæ extant, ut & præcipua e-
pitheta, collegit Damascenus lib. 1. Orthod. Fidei cap. 12. ex
quibus tria hæc potissimùm observanda sunt, videlicet,
ὁ ὢν, ὁ κύριος, ὁ θεός.

XLI.

Nomen ὁ ὢν, extat Apoc. 1. v. 8. & videtur proximè ac-
cedere ad nativum sensum nominis apud Hebræos τετρα-
γραμμειον: quod Deum notat, qui essentiam à nullo habens
creavit rebus omnibus peculiarem essentiam, & omnes pro-
missiones suas, re ipsa ut impleantur, efficit, ipse immutabilis
permanens ab æterno in æternum. Quò illud Apoc. 21. v. 6.
cap. 22. vers. 13. ex Iesa. 44. vers. 6. & cap. 48. vers. 12.
ἐγὼ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἡ δεξιὴ καὶ τὸ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ
ἔσχατος.

XLII.

Ideo de hac Græca appellatione sic scribit Damascenus
dicto loco: δοκεῖ μὲν ἐν κυριώτερον πάντων τῶν ἐπὶ θεῷ λεγομένων
ὀνομάτων εἶναι ὁ ὢν. Et paulò inferius idem nomen vocat

C

ωδγ-

Ἐξουσιον, id est, quod τὸ εἶναι τὸ θεῶν, seu quod revera sit Deus, significet: licet, quid sit Deus, non ostendat.

XL III.

78
Reliqua duo nomina sunt usitata, ut ὁ Domini, ac Dei appellationes in Latina lingua. Et Damascenus sanè triplicem originem nominis τὸ θεῶν notat, unde tertiam plures approbârunt, quando ἀπὸ τὸ θεῶν (ὁ πᾶσι), deducitur: Siquidem Deus, ut Damascenus addit, ἀλλὰ θεῶν ὄντι, ὁ πᾶσι ἐπιπέμπει. Quod ὁ Apostolus de Christo Hebr. 4. v. 13. cōfirmat, ὁ de Deo gentiles quoque pronunciarunt, secundum Orphei Odryseus hosce versus, ut à Theodoro lib. 2. de principijs To. 2. p. 559. allegantur:

εἰς ἐπ' αὐτοτελῆς, αὐτὸς δ' ὑπὸ πάντων τελεῖται,
ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς πρηνεύεται, ἔδ' ἕως αὐτὸν
εἰσέρχεται θνητῶν, αὐτὸς δ' ἐπὶ πάντας ὁρᾷται. &c.

Hoc est:

Perfectus Deus est, qui perficit omnia solus,
Ipse eadem lustrans, oculis ne cernere cuiquam
Hunc hominum liceat: tamen idem cuncta tuetur
Conspectus nulli, quoniam caliginis atra
Obsistunt nebulae, & mortalia lumina nobis,
Et pupa tenues, caro circum ac ossa resistunt.

Quorum versiculorum postremi planè cum Oraculis sacrae Scripturae consentiunt, qualia extant Exod. 33. v. 20. Sap. 9. v. 15. 1. Tim. 6. v. 16.

XLIV.

De definitione DEI.
De nominibus Dei praecipuis utcumque dictum fuit: ipsius autem definitionem veram & perfectam cōstituere aut percipere, nullius creaturae, sed solius Dei est. Nemo angelorum enim, nedum hominum ita perfecte Deum novit, quemadmodum se nōrunt, Pater, Filius ac Spiritus sanctus, qui cum sint ἕν ἰσὺς unus ac verus Deus, penes eosdem etiam vera ac perfecta sui ipsius noticia est, Matth. 11. vers. 27. Iohann. 1. vers. 18. 1. Corinth. 2. vers. 11.

Quis

XLV.

Qui autem Christi habent mentem, ut Apostolus 1. Cor. 2. v. ult. loquitur, hac descriptione ex patefacto divinitus verbo extracta contenti sunt, & ut in corde credunt, ita de uno vero Deo contra omnes Epicureos, hereticos ac fanaticos ore confitentur: Quod Deus verus sit Spiritus unicus, æternus, immensus, simplicissimus, purissimus ac immutabilis, omnipotens, summè sapiens, bonus, justus, verax, misericors, liberrimus, Pater æternus, Filius ac Spiritus sanctus coæternus: conditor ac conservator cæli & terræ: Elector & Salvator Ecclesiæ, per & propter filium, Vindexq; piorum & impiorum, ob nominis sui gloriam, per illorum salutem gratuitam, istorumq; pœnam meritam æternam.

XLVI.

Hæc definitio Dei, vel potius (ἐπιπερ κρηολεκτέον) descriptio dici potest essentialis, & quidem trimembris. Quemadmodum enim appellatione Spiritus discernitur Deus ab omni re corporea, quæ materiam & partes, vel etiam carnem & ossa habet; Luc. 24. v. 39. ita in primo membro etiam recensentur præcipua attributa Deitatis, quæ hanc non solum ab omnibus rebus compositis, sed etiam à creatis Spiritibus discernunt, quanquam nihil aliud sunt, quàm ipsius unici Dei perfectissima essentia. Postea in secundo membro additur recensio trium distinctarum personarum, quæ non essentiâ, sed relatione, hoc est, æterna communicatione essentia totius distincta, differunt: ita ut Pater sit à nullo, Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio, & filius quidè per generationem imperscrutabilem, Spiritus sanctus per processionem similiter ineffabilem, secundum illud Athanasii lib. de Comuni essentia Patris, Filii ac Spiritus sancti: ὁ λόγος ἐκ πατρὸς θεοῦ γεννητὸς, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ. Tertium membrum adiungit etiam propria & præcipua aliquot Dei unius opera & effecta, quæ propria Dei sunt ac dicuntur, non ut attributa

essentialia, sed quòd à nulla alia, nisi divina & omnipotentia illa natura, expectari & proficisci queant.

XLVII.

20
Secundùm institutum ergo præsens ex superiore thesi 15. et iam allata descriptione, restat, ut probetur, unum tantùm esse Deum, cuius essentia & attributa, absolute considerata, unum & idem sunt; & tres in uno Deo esse personas.

XLVIII.

De uno vero Deo.

Vnum tantùm esse Deum, non specie, sed essentia individuà, omni numero eatenus excluso, palàm est, primò ex verbi divini testimonijs: Secundò ex ratione. Tertio ex testimonijs humanis, tum intra, tum extra Ecclesiam.

XLIX.

Quòd ad verbi divini patefactionem, huius oracula, de unitate unius veri Dei, passim occurrunt, tum in veteri, tum in novo testamento, & utring, tam in dogmaticis, quàm in historicis scriptis.

L.

Ex veteri testamento hæc pauca annotasse sufficiat: Scias, inquit Moses Deut. 4. vers. 35. 39, quòd Dominus ipse Deus est, & non est alius præter eum. Scito ergo hodie & cogitato in corde tuo, quòd Dominus est Deus sursum, & in terra deorsum, & non alius: Idem cap. 6. v. 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Scipsum quoque describit Deus unum, Deut. 32. v. 39, Videte, inquit, quòd ego sim solus, & non est alius præter me: morte afficio, & vitæ restituo: frango. & sano, nec est, qui è manu mea cripiat. Huc canticum Hannæ, matris Samuelis, 1. Sam. 2. vers. 2. Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te. Similiter que Psal. 18. vers. 32. Psal. 86. vers. 8. Psal. 113. vers. 5. Ies. 43. vers. 11. cap. 44. vers. 6. cap. 45. v. 5. 18. 21. & alibi scripta reperiuntur.

Novum

L I.

Novum testamentum idem testatur & confirmat, ut
 Marc. 12. v. 29. 32. ubi γραμματεὺς seu scriba quidam, au-
 diens ex filio Dei hanc doctrinam, ita insit: Καλῶς διδά-
 σκαλε, ἐπ' ἀληθείας εἶπας, ὅτι εἷς ὁ θεός, καὶ οὐκ ἔστι ἄλλοι, 27
 πλὴν αὐτοῦ. Similiter testatur Paulus. 1. cor. 8. v. 4. Scimus,
 quod nullus est Deus, nisi unus. Et, Nobis unus est Deus.
 Idem 1. Tim. 2. v. 5. Unus Deus, unus & mediator Dei &
 hominum, homo Christus Iesus.

L II.

Hac ergo in doctrina Sacra scriptura primas tenet: cui
 sana postea subscribit ratio, quæ, unum tantum esse Deum,
 multis modis agnoscit & arguit, videlicet primò ex omnium
 causarum principio. Quæcumq; enim mutabiliter atq; al-
 ternis agunt, primam & omnia transcendentem aliquam
 causam moventem & agentem habeant, necesse est: aliàs
 in infinitum mutationis & alterationis processus fieret: quod
 nec cogitatione verum esse potest: Ergo unam primam &
 supremam causam esse oportet, quæ Deus est.

L III.

Quò gradatio prophetica referrì debet apud Hoseam
 2. v. 2. ubi Deus proserpicià quadam motum fecundum, per
 medias causas ad ipsum usq; hominem se extensurum esse,
 promittit: à quo si regressus fiat hoc modo: Homo reficitur &
 movetur à frumento, frumentum à cælo, cælum à Deo; &
 queratur amplius: A quo Deus moveatur? respondendum
 erit omnino: A nullo: quia ipse Deus est altissimus, καὶ τὸ
 πρῶτον κινουόν, ἀκίνητον, secundum Damascenum lib. 1. c. 4.

L IV.

Accedit ex luce rationis consideratio ipsius infiniti na-
 tura, quod unicum necessariò est. Hinc concluditur: Si plu-
 ra uno dari infinita nequeunt, unicus etiam erit Deus, qui

22
infinitus est. Sed verum prius, quia res finite tantum supra, infra, vel juxta se res similes vel diversas admittunt: infinitum nequaquam: quod & Damascenus tradit lib. 1. Orthod. Fidei. cap. 5. his verbis: ἡ διὰ πάντων ταυλότης εἷνα μᾶλλον δείκνυσι, καὶ οὐ πολλοῦς.

L V.

Demum confirmat hoc ipsum concinnus & perpetuus ordo rerum, & constans Univerſi gubernatio, qua necessario ad primam aliquam sapientem & providam omnipotentemq; unicam mentem, à qua unica pendent omnia, referenda est: & hac Deus unicus est, Sap. 14. vers. 3. Sin plures essent Dij, hi aut divisum imperium haberent cum potestate divisa, quod est absurdum & contra omnipotentiam, quae divisionem nescit; aut uno imperante, reliqui otiosi & sic Dij non essent. De his ita differit Damascenus lib. 1. c. 5. πῶς ὑπὸ πολλῶν κυβερνηθῆσεται, μάχης ἐν τοῖς κυβερνώσι θεωρημένης; & in fine capituli addit: Φυσικὴ ἀνάγκη, μονάδα εἶναι δὲ ἀρχὴν, id est, Nature necessitas ita fert, ut binarius (multo magis plurium numerus) ex unitate principium capiat. Huc pertinet usu tritus versus in Oratione Ulyſſis pro imperio Agamemnonis ad exercitum Graecorum, Iliad. 6. ἅπ' ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν & ἔσω: Complures regnare malum est: Rex unicus esto.

LVI.

Non attinet hic ex Orthodoxis Patribus plura allegare testimonia, quae, ut à reprobis idololatriſ repudiantur, ita de illorum consensu inter fideles nihil ambigitur. Hanc auream tamen sententiam inculcare juvat ex Athanasii Oratione contra gentes To. 1. p. 32. ubi ita concludit: ὡς περ ἐλέγομεν τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα, ἕτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι. Sic Cyprianus libro de idololorum vanitate hoc etiam argumento probat, Deum esse unum, quia monarchia sit optimum regimen. LVII. Hu-

L VII.

Huius loci est integrum 5. caput lib. 1. Damasceni de Fide Orthodoxa, in quo postquam sacram scripturam paucis allegavit, ita unitatem unius veri Dei probat, 1. Quòd necessario in Deo requiratur summa perfectio: Sin plures essent Dii, alter ab altero differret, & sic in se, quod in alio esset, minus haberet, & eatenus perfectus, aut Deus non esset. 2. Quòd Deus sit incircumscriptus: Sin plures essent, alter ab altero loco discriminaretur. Ideò inquit: τὼς δὲ, πολλοῖς ἔσι, τὸ ἀπερίγραπτον φυλαχθήσεται. 3. Quòd mundus uniformiter gubernari, si plures Dii essent, non posset, dissolvendus aut corrumpendus ex plurium Deorum differenti imperio.

L VIII.

Damascenus d. l. respondet etiam ad objectionem, quòd scilicet divisum inter se imperium habeant, quemadmodum montanos & campestres Deos somniabat Rex Syria Benhadad 2. Reg. 20. v. 23. Querit enim Damascenus, quis διανομήν seu distributionem inter ipsos fecerit? haud obscure ostendens, quòd, licet plures Dii concederentur, tamen summum aliquem Deum, ceu τὸν νομοθέτην ἀνωτέριον, hi necessario requirerent. Ad hoc hic solus verus Deus est, præter quem non est alius, quemadmodum idem caput concluditur: εἰς τὴν ἐστὶ θεὸς, τέλει, ἀπερίγραπτος, τοῦ παντὸς ποιητὴς, συνοχεύς τε, καὶ κυβερνήτης, ὑπερῆλης καὶ προῆλης.

L IX.

Eò periculosius autem hic erranti speculationi, de pluribus uno Dijs, indulgetur, quòd etiam gentiliū sapientiores rectius hac in parte iudicârunt, & unitatē veri Dei gravissimis sententiis ex lumine rationis, de quo superius, desumptis, testatam fecerint. Zenon, antiquissimus Philosophus, dicere solitus est: πολλοθεΐης καὶ ἀθεΐης eiusdē est insania: Et de Pythagora affirmatur, quòd dixerit: Homerū apud inferos torque-

24
torqueri propter fabulas de Dijs inventas. De quo Cicero lib.
1. Tusc. quest. ita scriptum reliquit: Homerus humana ad
Deos transferebat, divina mallet ad nos. Tam opportuna
autem apud vulgus, Dijs fictis assuetum, calumnia res fuit
abnegatio plurium Deorum, ut, Apuleio teste, Socrates ad
epotandum cicutam damnatus fuerit, cum non modò Deum
unum fateretur, verùm etiam gentilitios Deos reliquos de-
testaretur, adeò ut per hircum, canem & quercum, quàm
ficta gentilium numina, iurare mallet, nihil per id, quod
nihil est, confirmari posse ratus.

LX.

Eundem commendat Theodoretus lib. 2. de Principiis
p. 560. quòd in dissertatione cum Critone habita hanc reli-
giosam quoq; sententiam usurpaverit: Haud prorsus est, ò
vir optime, curandum, quid multi de nobis autument ac
loquantur; Sed quid ille, qui & justos audit & iniustos,
qui est V N V S, & ipsa veritas, Relatu & observatu quoq;
dignum est Platonis illud, cuius etiam Theodoretus d. l.
mentionem facit, quod Epist. 13. ad Dionysium scriptum vo-
luit: Hinc, inquiens, disces tu, scribam ego seriò, nec ne.
Cum seriò, ordior Epistolam ab uno D E O, cum secus, à plu-
ribus.

LXI.

Vnius Dei descriptionem in templo urbis Ægyptiorum
Sai hanc fuisse, testatur Plutarchus libr. de Iside & Osiride:
ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον
ἔδεισπώ θνητὸς ἀπεκάλυψεν. Nec Sibyllarum oracula, ad
quas Iustinus Martyr etiam in περὶ ἑπτακῶν ad Gentes, has ab-
legat, hic sunt absona, ut hi versus illarum testatum fa-
ciunt:

εἷς θεός ἐστι μόνος, καὶ ὑπερμεγέθης, ἀγέννητος,
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρῶμεν αὐτὸς ἅπαντα,
Αὐτὸς δ' ἔβλεπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἀπάσης.

LXII. Vnum

LXII.

Vnum tantum esse verum verissime Deum, haecenus
 tum ex infallibili Dei verbo, tum ex ratione & testimonio
 externo Ecclesia, ac gentilium quoque comprobatum est: iam
 certos quoque reddi pios oportet, istum verum & unicum De-
 um, esse Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum, hoc est, esse
 θεῖον ὁὄν αἰῶνος, μὴ ἀνθρώπου ὁμοούσιον, ut apud Achanasium, in
 Responsione Quaest: 1. ad Principem Antiochum scriptum
 extat.

De tribus in
 uno vero Deo
 personis.

25

LXIII.

Licet enim attributa distincta de uno Deo predicentur:
 tamen haec sunt ipsissima Dei, ut Spiritus purissimi & simpli-
 cissimi, essentia: suntque vel plane ἀνοικώνητα creaturis, ut est
 aternitas, atque immensitas: vel κοινώνητα, in effectorum sci-
 licet similitudine; nec absolute in Deo, sed relate & effecti-
 ve erga creaturas, & potissimum in Ecclesia, distinguun-
 tur, ut sunt bonitas, sanctitas, sapientia, omnipotentia,
 veritas, justitia ac misericordia, &c. Deque hys sacra scriptu-
 ra & experientia abunde, & ratio etiam suo modo docet.
 Quique non agnoscit, Deum esse bonum & sanctum, μωρός est:
 qui de sapientia & omnipotentia dubitat, μωρόκακός:
 qui veritatem & justiciam suspectam habet, ipse mendax &
 injustus; qui misericordiam negat vel desperat, blasphemus
 cum Caine fraticida, & irrevocabiliter damnatus est.

LXIV.

Deum verum autem esse, ut unum in essentia, ita tri-
 num in personis, altioris & accuratioris indaginis est, &
 non ex libro mundi aut ratione, sed ex libro gratiae, hoc est,
 sacra scriptura proprie probandum. Ideo haec doctrina est Ec-
 clesiae vera propria, licet etiam in papatu, una cum articu-
 lo περὶ τοῦ θεοῦ ἑαυτοῦ πρῶτον, quod ad personam huius, ut mala fidei
 possessore, retenta sit; sub cuius captivitate Babylonica etiam

D

cives.

26
eives Ecclesia vera oppressi delituerunt, Deum enim unum tantum esse, ratio dicitur, & quod bonus, castus, justus, & omnipotens sit, ex effectis de causa colligit. Tres autem personas in uno Deo esse, sola Ecclesia ex patefactione verbi divini novit, & propterea per fidem in Iesum exultat.

LXV.

Proinde vestigia sacrae scripturae & divinae patefactionis, tum in Veteri, tum in Novo testamento devotè adorantes, & religiosè observantes, ex eadem, & inde deductis demonstrationibus, doctrinam hanc asserimus hoc ordine.

1. Adductis testimoniis ex sacris literis in genere, quibus tres, in uno Deo, personae vel adumbrantur, vel perspicuè nominantur.

2. Testimoniis, quae in specie de Deitate Filij ac Spiritus sancti evidentia extant, in quibus verum veri Dei nomen, attributa, miracula & opera, nec non cultus soli Deo competentes, & Filio & Spiritui sancto attribuuntur: contra quae principia, qui procaciter & pertinaciter disputat, in Ecclesia non est audiendus.

3. Probationibus, quae ex aliquibus scripturae verbis ac phrasibus invicem collatis, per rationem illuminatam extruuntur.

4. Externo testimonio Ecclesiae, quod dulcem consensum monstrat & rem ipsam illustrat: quae etiam Sibyllis & nonnullis Philosophis, beneficio peregrinationum, ac lectionis doctrinae Mosaicae ac Propheticae, à 70. Interpretibus, in Graecam gentiliurn linguam, curante id laudatissimo Aegypti Rege, Ptolemaeo Philadelpho, anno ante Christum natum 263. conversa, ex parte innotuit.

LXVI.

Secundum institutum hunc ordinem, prima classis testimoniorum sacrae scripturae, quibus fides de tribus in una Deitate

Deitate personis stabilitur & nititur, distincta ejusmodi di-
cta complectitur;

1. In quibus Deus de seipso, aut scriptura de Deo loquens
utitur plurali numero.

2. Quando Deus de Deo, tanquam de alio à se distincto,
loquitur.

3. Cum propria Dei nomina ter repetuntur.

4. In quibus tres personae expresse nominantur, tum in
veteri, tum in Novo testamento.

Prima classis
 probationum
 doctrinae de
 S. S. Triunitate.

27

LXVII.

Insigniora testimonia, in quibus sacra scriptura, de Deo
loquens, plurali numero utitur, haec sunt: Faciamus ho-
minem ad imaginem nostram, secundum similitudinem
nostram, inquit verus ac unicus Deus, Gen. 1. v. 26. Et,
Dixit Dominus Deus: Ecce homo est, sicut unus ex nobis,
cap. 3. v. 22. Agedum descendamus, inquit Deus de stru-
ctoribus & architectis turris Babylonicae turbandis, Gen. 11.
v. 6. 7. & confundamus ibi sermonem eorum, ut non in-
telligant alter sermonem alterius. Similiter inquit Dominus
Ios. 6. v. 8. Quem missurus sum, & quis iturus est nobis? Et
eodem spectant mystica illa scripturae loca, in quibus Deus vo-
catur, Deus sancti, Deus iudices, Deus Viventes, Ios. 24. v. 19.
Psal. 58. v. 12, Ier. 10. v. 10.

LXVIII.

Nec lividorum ac blasphemorum Iudeorum & Antitri-
nitariorum cavilla locum merentur, qui politico schemati
has phrasas per rorachum asseribunt, quo fit alicubi inter ho-
mines sanè, quod Georg. Fabricius in annalibus urbis
Misnae hanc in sententiam scripsit: Ut videlicet, cum de-
crescit virtus, titulorum crescat arrogantia. Deus enim ita
locutus est, antequam ulla in lingua hoc sermonis schema
receptum fuit: neque in Deum cadit arrogantia. Quin-
idem alibi, vel maxime cum maiestate loquens, si perso-

D 2

nas

28

nas in se distinctas διαρρήδην exprimere non instituit, nequaquam plurali, sed singulari numero utitur, ut in promulgatione Legis, Exod. 20. v. 1. nec non foederis gratia cum Abrahamo & tota Ecclesia Gen. 17. v. 7. Ier. 31. v. 31. apparet. Ut & Deus à spuma verborum elata alienissimus est, ita & nos aliter informat, quando ipsum, ut nostrum Patrem, invocamus, Gen. 32. v. 9. Matth. 6. v. 9. Ab hac πομπολογία insuper, Hebraea cum primis, & multa alia lingua, genuinè accepta, intacta sunt.

LXIX.

Non minus clara sunt testimonia, in quibus scriptura, seu Deus ipse de Deo, seu de alia à se distincta persona loquitur: Quò pia vetustas retulit etiam illud Genes. 19. vers. 13. Nos perdituri mox sumus hunc locum: cum tamen paulò post v. 17. 21. Dominus verba in singulari respectu faciat: Vnde Athanasius Dial. 3. de Trinit. hanc sententiam elicit: ποτέ οὖν τὸ, ἡμεῖς, λέγει διὰ τὰς ὑποστάσεις, ποτέ δὲ τὸ, ἐγὼ, διὰ τὴν φύσιν. Et Cyrill. lib. 7. c. 10. in Iohann. vers. 30. Vtrumq; audi: & V N V M, & S V M V S: & à Charybdi & Scylla liberaberis. Quod dixit, V N V M, liberat te ab Ario, separante filium à substantia Patris: Quod dixit, S V M V S, liberat te à Sabellio, confundente personam Patris & Filij sine discretionem.

LXX.

Propriè autem huius loci est, & quidem evidens plurimum in uno Deo personarum, testimonium, quod in ejusdem 19. capit. v. 24. scriptum extat hoc modo: D O M I N V S demisit super Sodomam & Gomorrham pluviam sulphuris & ignis à D O M I N O è caelis. Hoc est, Filius Dei, Sapientia & potentia Dei, Sap. 10. v. 6. 1. Cor. 1. v. 24. à Deo Patre, qui Filio omne iudicium dedit, Iohann. 5. v. 22. pœnas de Pentapoli sumpsit. Eòdem spectat Epithalamion spirituale decana-



29
cantatum Filio Dei, sponso, & sponsa Ecclesia, in Psal. 45. v. 8
Vnxit te, o Deus, Deus tuus oleo gaudij præ consortibus. Hoc
est, o Filii Dei, Pater tuus non ad mensuram tibi, ut filiis
gratia adoptivis, dat spiritum, Iohann. 3. v. 34. Sic inquit
DOMINVS apud prophetam Hos. 1. v. 7. Salvabo eos per
DOMINVM Deum ipsorum. Hæc oracula qui non accepit
ut testimonia de Trinitate, prisca Orthodoxa Ecclesia ana-
thema fuit, ut in Synodo Syrmienti cõtra Photinum congre-
gata, apud Socratem in Eccles. Histor. lib. 2. cap. 25. vide-
re est.

LXXI.

Uterius etiam observari hinc solent illa scriptura loca,
in quibus nomen vel attributum aliquod Dei ter repetitur,
quæ non solum ἐμφατικὰ, verum etiam, prioribus si jungan-
tur, μυστηριώδη esse deprehenduntur: Quale est in formula
solennis benedictionis à Deo per Moysen Pontifici Aaroni præ-
scripta, Num. 6. v. 24. & hymnus angelicus Esai. 6. v. 3. Se-
raphim acclamantibus: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus
exercituum. Cuius similem videre est apud Niceph. lib. 14. c.
46. Et apud Damascenum lib. 3. c. 10. ubi τρισάγιον, ab an-
gelis in cælis decantatum, ita describitur: ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος
ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Eodem modo se ha-
bet Litania Danielis cap. 9. v. 19.

LXXII.

Lucem autem & robur præmissis oraculis maximum
addunt quæ sequuntur, videlicet ex Genesi 1. vers. 1. ubi DI-
CENDO creasse DEUS cælum & terram, & SPIRI-
TUS Dei incubasse superficiem aquarum scribitur. Quod
testimonium in Psalmo 33. v. 6. clarius, clarissime verò ab
Evangelista Iohanne cap. 1. v. 1. repetitur & inculcatur.
Affine est, quod 2. Sam. 23. v. 2. occurrit, in novissimis ver-
bis Davidis, dum inquit idem: SPIRITUS DOMI-
NI locutus est in me, & SERMO eius per linguam meam.

D 3

Sic

30

Sic Ies. 44. v. 2. 3. 6. fit mentio DOMINI non tantum, sed etiam SPIRITUS DOMINI, & REGIS Israëlis, ac vindicis eius, qui Filius Dei est.

LXXIII.

Præterea, inter oracula veteris Testamenti, instar phosphori lucet luculentissimum, idq; tum generale, tum speciale, & hoc quidem geminum de S. S. Trinitate, testimonium, quo vel solo electi se adversus perfidiam Iudeorum, ac roachos Antitrinitariorum, ceu Ἰουδαίων & perduellium Christi, qui negant, hoc mysteriū ex veteri testamento probari posse, munire poterant: quod extat scriptum Ies. 63. v. 7. & c.

LXXIV.

Benignitates DOMINI, inquit ibidem Ecclesia, commemorabo, laudes DOMINI planè pro omnibus, quæ contulit nobis DOMINUS, & amplitudinem bonitatis erga domum Israëlis, quam contulit eis secundum misericordiam suam, & secundum amplitudinem benignitatum suarum. Et huc usq; generalius dicti loci testimonium.

LXXV.

Sequitur ibidem: Nam dixit (scilicet DOMINUS) Utiq; populus meus sunt, filij non mendaciter acturi: ideo fuit illis SERVATOR. In omni angustia eorum non affecit eos angustia, sed ANGELUS faciei eius servavit eos: dilectione sua & clementia ipse vindicavit eos, & imponens eos sibi baiulavit eos omnibus diebus seculi. Nam ipsis rebellantibus, & dolore afficientibus SPIRITUM sanctitatis eius, mutabatur quidem ipsis in inimicum, ipse repugnabat eis. Sed recordabatur (scilicet DOMINUS) dierum priscorum, Moysis, populi sui, dicens, Vbi est, QUI EDUXIT istos e mari cum pastore gregis sui? Vbi, qui posuit in medio istius SPIRITUM sanctitatis sue.

LXVI.

Hic



Hic qui claudit oculos veritati, nec fide intuetur patefactum SS. Trinitatis mysterium, is instar vespertilionis in meridiana luce, si Novi presertim Testamenti splendor accedat, cecutit, & suo merito filius tenebrarum occacatus peribit in aeternum. Hac enim qui non videt, cecus est, qui videt, neg, laudat, ingratus est: qui laudanti reluctatur, insanus est: ut illud Augustini de calamitatibus Rome divinitus immixsis, ex lib. 1. c. 7. de C. D. huc accommodare liceat.

LXXVII.

Veteri Testamento non tam succenturiatum, quam de idolatris gentibus, & omnibus veri Dei hostibus triumphatum hac etiam in doctrina Christiane parte succedit Novum, ex quo de prompta testimonia, ut sunt clariora & illustriora, ita consensum Prophetarum & Apostolorum Orthodoxum ostendunt, & fidem nostram amplius mirifice confirmant & stabiliunt, contra omnes Sathanae & Antitrinitariorum insultus, in quos, ut reprobos, competit illud Ier. 8. v. 9. Ecce, Verbum Domini spernunt: & cujus rei sapientia eis?

LXXVIII.

Maxime illustre testimonium Trinitatis suppeditat baptismus, tum Christi, tum nostri omnium. Baptismus Christi descriptus extat Matth. 3. v. 16. 17. ad quem Deus ita pro-dire ex luce sua inaccessa, propter nostram salutem, dignatus est, ut sensibus externis etiam distinctas, in uno vero Deo, personas deprehendere, hoc est, patefactum Patrem audire, & Filium ac Spiritum sanctum videre licuerit, Filium scilicet in carne personaliter ipsi unita, & Spiritum sanctum in Columba apparitione.

LXXIX.

Pater enim clamat de caelo, quod Iesus, qui baptismum recipiebat, sit filius ipsius, & quidem non solum ὡς υἱός, Verum



32

verum etiam ὁμογενής, ut Iohann. 3. vers. 16. appella-
tur. Spiritus sanctus autem, in specie columba, supra filium
se se demittebat, tum, ne Iohannes Baptista in persona Mes-
siae erraret, tum ut omnem plenitudinem spiritus absq; men-
sura in Christo, huncq; Dei filium & Messiam esse, omnes e-
lecti cum Iohanne, de hac Spiritus sancti apparitione calitūs
præmonito, firmiter crederent, Iohann. 1. v. 16. 33. Et hoc te-
stimonium tanti fecisse Athanasius fertur, ut tandem, si quis
de Trinitate dubitaret, istum rectā ad eiusdem lectionem,
& historie baptisati Christi contemplationem ablegare soli-
tus sit: Ad Iordanem, inquit, ito, & videbis. δεῦρο ἐν Ιορ-
δάνῃ, καὶ ὄρα καὶ πρὸς γνάτων τηλαυγῶς τῆς ἀγίας καὶ ὁμο-
οσίᾳ τε καὶ τὴν δύναμιν, ut est apud Athanas. quest. 1. ad
Antioch. Tom. 2. p. 276.

LXXX.

Nostri baptismi formulam nemo nescit, nisi qui nomi-
ne Christiano indignus, & rudis planè in doctrina cælesti
fuerit. Legitur autem descripta Matth. 28. v. 19. ubi admi-
nistrari iubetur εἰς τὸ ὄνομα, vel ut Act. 2. v. 38. extat, ὅτι τὸ
ὄνοματι, hoc est, in nomen vel nomine Patris Filii ac Spiritus
sancti, respiciendo scilicet in mandatū & promissionem Dei,
& in eodem Dei mandato ac promissione acquiescendo: ut
mandato religiosè obediatur, & promissioni fæderis gratui-
ti, quod in ceremonia baptismi credentibus ad vitam eter-
nam obsignatur, devotè & animosè credatur.

LXXXI.

Vnde verè catholica Ecclesia irrefragabili consecutio-
ne hoc modo concludere solita fuit:

Cui nos fide & obsequio in fædus æternum & ad sem-
piternam nostram salutem astringimus, ipsiusq; nomen pro-
pterea in toto terrarum orbe invocamus, is unicus verus De-
us sit, oportet.

In



In baptismo hunc cultum, fidei scilicet & invocationis, tanquam eterna homagia, dictum ob finem, passim in dispersione sanctorum exhibemus Patri, Filio & Spiritui sancto.

Ergo Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt unus verus ac aeternus Deus.

LXXXII.

Quapropter Antitrinitariorum illi blasphemi sunt, qui baptismum contemnunt, & ut otiosam jam ceremoniam fastidiunt: alij vero, qui ex eorundem colludie baptismum dicis ergo retinent, & Christo ac Spiritui sancto, aequè ac Patri, cultum aeterni sanciti fœderis atq; invocationis, ad salutem aeternam consequendam, exhibent, & tamen aeternam Filij & Spiritus sancti Deitatem negant, idololatrae sunt. Nos contra cum Basilio, lib. de Spiritu Sancto cap. 12. in solum verum Deum credere, & in solius veri Dei nomen nos baptisari, cum fiducia & tripudio cordis asserimus, inquentes: ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς Πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, εἰς τὸ καὶ βαπτίζομεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. Hoc est, Sicut credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum; sic & baptisamur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: secundū Basil. lib. ad Amphilo- chium de Spiritu sancto, cap. 12. Et in eodem libro cap. 27. Oportet nos baptisari, sicut accepimus: Credere autem, sicut baptisamur: glorificare autem, sicut credimus, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Qui enim gratiosi pacti, fœderis ac Testamēti autor, protector & executor est, illius solius nomen propterea celebrari & proprio ejusdem sigillo confectū diploma muniri solet.

LXXXIII.

Eandem fidem luculentè confirmant conciones Christi valedictoria, Iohann. 14. v. 26. c. 15. v. 26. & verba Apostolica

E

stolica

Stolica Pauli 2. Cor. 13. v. 13. Ephes. 1. v. 16. 17. & cum primis testimonium Catholicum i. Iohann. 5. v. 7. hoc aureo aphorismo posteritati consecratum. Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ ἔρανῳ, ὁ πατήρ, καὶ ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ ἅτοι οἱ τρεῖς ἐν εἰσι.

LXXXIV.

Secunda classis probationum doctrine de S S. Trinitate.

Hactenus precipua aliquot testimonia adducta sunt, quae fidem confirmant de S S. Trinitate in genere. Sequuntur speciales de Deitate Filii ac Spiritus sancti probationes, eo ordine, quem thesis 65. superior habet: Et illa quidem aut perspicuis verbis, quibus Filius, ut & Spiritus sanctus, nominatur DEUS & DOMINUS: aut praedicatione de alterutro, in alijs atq; alijs locis, attributorum, operum & cultuum Dei, quae omnia soli Deo, & nulli creatura competunt, neque de ulla re creata proprie enunciari queunt.

LXXXV.

De Filij D. iustate.

Ad Filium quantum attinet, hic demonstratur verus esse Deus, primò quoniam proprie in sacra scriptura ita appellatur, eiq; nomen Dei nativum, proprium adeoq; essentialle, quod Graeca Ecclesia vocat τετραθεάμωλον, attribuitur, in quo etiam revera illud Dei nomen, hoc est, natura & majestas Dei est, Exod. 23. v. 21. Ita autem de Messia, qui est Filius Dei, vaticinatur Spiritus sanctus per Ieremiam 23. v. 5. Ecce dies venturi sunt, dictum DOMINI, quibus excitabo Davidi germen iustum, Vbi Chaldaica Biblia hunc habent expressum sensum: Excitabo Davidi Messiam iustum. Et paulò post in textu sequitur: Hoc nomen eius est, quo vocabant eum: O DOMINE, iustitia nostra. Vbi nomen DOMINI, soli omnino Deo, & adjunctum epitheton, iustitia nostra, soli Deo incarnato jure merito, & nulli merae creaturae, absq; sacrilegio, ascribi potest.

12



XVI.

In n^o *gentis insigniora loca, quae huc spectant.*
θεός ην ο λόγος. Et Hebr. 1 v. 8. ex Psal.
45. v. 7. n. m dicit Deus: Thronus tuus, o Deus, in
seculum seculi, Virga recta virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis ultra consortes tuos. Non minus lucis & virium habet illud Rom. 1. v. 4. c. 9. v. 5. ubi Christus scribitur esse ex Patribus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes, Deus laudandus in secula. Et additur ibidem vox certitudinis & πληροφoρίας, Amen. Idem Filius vocatur verus Deus & vita aeterna, 1. Iohann. 5. v. 20.

LXXXVII.

Eidem in sacra scriptura Dei attributa quoque assignantur, unde etiam ἀποδεικτικά & invidta argumenta pro Deitate Filii oriuntur, quia illa de solo Deo, cuius sunt essentia, verè predicari queunt, atque, ut & nomen ac gloria Dei, alteri non tribuuntur. Iesa. 42. vers. 8. cap. 48. vers. 11.

LXXXVIII.

Inter Dei attributa, Filio assignata, cum primis observatur aeternitas, non secundaria, sed primaria, hoc est, quae non solum sine, sed & principio, & causa procreante, progressuque temporis ad aeternitatem, caret. Aeternus enim describitur Filius, ut Sapientia Dei, absque qua Deus nunquam fuit, Prov. 8. v. 22. Sap. 8. vers. 3. 9. Sir. 24. vers. 14. Hinc scribitur fuisse in principio, Iohann. 1. vers. 1. πρὸ πάντων, Col. 1. vers. 17. ideoque à Damasceno lib. 1. Orth. fid. c. 15. & lib. 3. c. 1. ex Epist. ad Hebr. c. 1. v. 2. ἀπὸ ἀρχῆς ἀρχῆς ὑπερούσιος & καὶ ὑπεράρχιος ἀρχὴ καὶ πρῶτος & vocatur: ut & α. καὶ ω. hoc est, principium & finis, Apoc. 1. v. 8. 17. cap. 21. vers. 6. c. 22. v. 13. Filij ergo nativitas omne initij tempus, omneque

35



36
momentum excedit, quem
tate non ambigit, secundu
te.

rati infini-
e Trinita-

LXXXIX.

Ab aternitate ut omnipresentia. aucturitat, ita et-
iam de Christo verissime in sacra scriptura predicatur.
Quemodmodum enim psal. 139. v. 8. & Ier. 23. v. 22. Dei o-
mnipresentia γενητός asseritur: ita Siracida 24. v. 3. 4. Filij
τῶν ἀρχουσῶν in specie describitur, ut tum etiam ferebat
communis Ecclesia in veteri Testamento confessio. Eodem
promissiones Christi referenda sunt, Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 20
quemadmodum & re ipsa secutus ubiq; effectus, Marc. 16.
vers. 29.

XC.

Cum aternitate & omnipresentia indivulso nexu co-
haeret omniscientia, quae itidem Filio Dei attribuitur, quem-
admodum hanc fatentur aperte discipuli, Iohann. 16. vers.
30. & Petrus cum magna devotione, Iohann. 21. v. 17. Nec
obstat, quod Marc. 13. v. 32. ipse Christus sibi praescientiam
dici novissima abiudicat. Id enim vult de se, ut λόγῳ incar-
nato, intelligi κατὰ τὴν, videlicet respectu humanae naturae,
in statu humiliationis. Non est enim, recte Athanasio, Ora-
tione 4. contra Arianos To. 1. p. 282. monente, ut aliquid
detrimenti V E R B O Dei accidisse putes, cum i-
gnoratio ista ad humanam naturam, cui id peculiare est,
solummodo pertineat. Sic quoque scribit Nazianzenus lib. 2. de
Filio: γενητός μὲν ὡς Θεός, ἀγνοεῖν δὲ Θεῶν ὡς ἀνθρώπου. Et
Cyrillus lib. ad Eutropium To. 4. p. 198. Non Dei V E R B I
ex ignorantia, sed forma servi (scilicet nescivit), quae tan-
ta per illud tempus sciebat, quanta Deitas inhabitans reve-
labat. Id quod & Lucherus in Postillis Ecclesiasticis, seu opti-
mo suo libro (quemadmodum ipse hunc tali elegio ornavit
To. 1e-

Tom. lenens. Germ. 3. fol. 381. 382.) Concione in cap. 1. ad Hebraeos comprobavit, & pluribus verbis ibidem significanter testatum reliquit.

XCI.

Inter attributa Dei essentialia occurrit etiam omnipotentia aeterna, Rom. 1. v. 20. qua verbo Patris etiam assignatur, Sap. 18. v. 15. ubi describitur vindicta Dei, ab Aegyptiis occacatis sumta: Omnipotens tuus Sermo, inquit autor libri, ex Iudaica Ecclesiae confessione tum recepta, è caelis, è throno regali praecipuus bellator, in medium interitui adjudicata illius terra desiliit. Hinc dicit Christus Matth. 11. v. 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre. Quod nulla creatura de se praedicare, immo ne accipere quidem omnia potest: quemadmodum solus filius, per aeternam generationem à Patre, omnem sine principio temporis accepit Deitatem, ac essentialiam potentiam, ideo ὁ πᾶντων ἄρχων Apoc. 1. v. 8. dictus; & ut designatus Mediator, omnem redimendi & iudicandi mundum, potestatem, qua omnipotentiam praesupponit. Ideo & Tertullianus, ex dicto loco, praecipuum argumentum pro Deitate aeterna τὸ λόγος sumit lib. de Trinitate, p. 606.

XCII.

De potestate officij Mediatoris, in quo & omnipotens aeterna natura sit, oportet, sic ad consolandum discipulos, quos in totum terrarum orbem ablegaturus erat, gloriatur, Matth. 28. v. 18. ἐδόθη μοι πᾶσι ἐξουσία ἐν ἔθνεσιν καὶ ἰσχυρὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Quam sententiam Athanasius, Tom. 1. p. 327. ita explicat: Data est mihi omnis potestas, ut Salvatori: quam neq; Pater, neque Spiritus sanctus, ratione meriti & immediate, habet.

XCIII.

Pariratione Deitas Christi asseritur ex operibus Dei propriis, secundum regulam apud multos celebratam: ὡν δὲ ἡ αὐτῆ

37



38
ἢ αὐτῆ ἐνέργεια, ἢ αὐτῆ ἀποδείξασθαι ἴσως, hoc est, Quorum
eadem est operatio, eorum una atq; eadem quoq; invariabilis
est natura, ut Athanasius circa finem Dial. 2. de Trinit. &
Basilius lib. 4. contra Eunomium, & Damascenus lib. 2. cap.
23. & lib. 3. cap. 14, 15. 19. tradunt. Operum autem Dei pro-
piorum hæc sunt præcipua: Creatio & conservatio universi,
redemptio orbis, largitio Spiritus sancti, resuscitatio mortuo-
rum, qualiter Pater resuscitat, & iudicium omnium homi-
num catholicum, ac similia.

XCIV.

Opus creationis disertis verbis Filio Dei, qui λόγος
vocatur, assignatur, Gen. 1. v. 3. Psa. 33. v. 6. Sap. 9. v. 1. Iohann. 1. v.
3. Col. 3. v. 16. Hebr. 1. v. 10. Similiter eidem conservatio re-
rum omnium ascribitur, Hebr. 1. v. 3. ut qui sit ὁ Φέρων τῆ
πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτῆς. Vbi verbum Filij, est
idem cum Patris voluntate decretum, mandatum atque ea-
dem efficacia, enunciato verbo significata, ut & Matth. 4.
vers. 4.

XCV.

Eidem & tribuitur redemptio orbis ab omni peccato-
rum lue & reatu, atq; ab immensa ira Dei, & horrenda Sa-
thana potestate: quia sanguine suo æternam justitiam ac re-
demtionem paravit, Ies. 49. v. 6. c. 53. v. 11. Dan. 9. vers. 24.
Zach. 9. v. 11. Matth. 20. v. 28. Act. 20. v. 28. Rom. 3. v. 24. 1.
Pet. 1. v. 18. I. Iohann. 1. v. 7. c. 2. v. 1. 2. Heb. 1. v. 3. Apoc. 1. v. 5. 6.
Quò etiam promissa benedictio omnium gentium in eòdem
pertinet, Gen. 18. v. 18. e. 22. v. 18.

XCVI.

Donatio Spiritus sancti, qui & ipse Deus est, certè à
nullo expectari potest, quàm à Deo ipso: & blasphemi
omnino sunt Monachi, & quotquot se Spiritum
sanctum

39
sanctum in manu, quando baptismum conferunt, habere
τὸ φῶς ὑπερθεολογικῶν quodam estuantes, gloriantur. Christo
autem illa tribuitur, & sic etiam Deitas ipsius demonstra-
tur, Ios. 2. vers. 28. Iohann. 15. vers. 26. cap. 16. vers. 7.
Act. 2. v. 16. 33.

XCVII.

Inter Dei opera cum primis etiam recensetur resusci-
ratio mortuorum immediata, qualis soli Deo competit. Et
hec penes Christum est, qui mortuos in vitam revocat, non
ut Propheta & Apostoli, aliena, sed propria virtute, quemad-
modum Iohann. 5. vers. 21. scriptum extat: ὡς περὶ ὁ πατήρ
ἐγείρει τὰς νεκρὰς καὶ ζῶοποιεῖ, ἔτω καὶ ὁ υἱός, ἃς θέλει, ζῶοποιεῖ.
Huc illa, quæ sunt Iohann. 6. v. 40. cap. 11. vers. 25. ad quæ
omnia Hiob quoque respexit cap. 19. vers. 25. Ac eodem refe-
rendum est universale futurum iudicium, ad quod exer-
cendum requiritur omniscientia & omnipotentia, ideoque
soli omnino Dei est. Christo autem in solidum ascri-
bitur Iohann. 5. vers. 22. Actor. 17. vers. 31. de cuius Deita-
te vera nemo sanus in vera Ecclesia propterea dubitare
ausit.

XCVIII.

Postremo, ex cultibus soli Deo debitis & exhibendis,
pro Deitate Filij æterna, circa omnem hesitationem in Eccle-
sia pronuntiatur. Cultus illi sunt Fides & Invocatio, theolo-
gicè coram omnipotente cordium scrutatore, accepta: quos
tum frustra ac superstitiosè, tum idololatricè, sacrile-
gè, atque blasphemè occacati homines ad creaturas, ceu
Angelos & defunctos homines, hosque vel verè vel imagina-
riè sanctos, immo ad commentitia numina & idola, refe-
runt, Ies. 42. vers. 8. cap. 48. vers. 11. cap. 63. vers. 13. Deut.
6. vers. 4. 13. cap. 10. v. 20. quod & ex primo Decalogi praecepto
planum est.

Quod

40
 Quod autem in Christum quoque credere, & plenam cordis fiduciam, ab eodem, in toto orbe terrarum, presentia ac eterna bona petere debeamus, ex sacra scriptura patet, quando videlicet de Messia Gen. 49. v. 10. 11. predicatur, quod gentes eidem, ad homagia scilicet fidei prestanda, se sint aggregatura, qui ideo signum populorum vocatur, ad quod gentes consultura veniant, Ies. 45. v. 10. Huius loci est iuramentum illud protrepticum & axiomaticum, Ies. 45. v. 22. 23. quod Spiritus sanctus in novo Testamento ad Philipp. 2. v. 10. expresse ad Christum accommodat. Respicite ad me (inquit ibidem Deus, quemadmodum Christus etiam clamat Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes &c.) & servemini omnes fines terra: Nam ego sum Deus fortis, & nullus preterea. Per me iuravi, prodijt ex ore meo iuste verbum, quod non revocabitur: mihi incurvatum iri omne genu, iuraturam omnem linguam: Tantummodo in Domino, de me inquiet, omnis iustitia & robur est. In Domino justificabuntur & glorificabuntur totum semen Israëlis. Ideo tota Ecclesia iubetur ipsum, ut sponsum suum, adorare, Psal. 45. v. 12. immo omnes Dii seu Angeli Dei, sicut Apostolus ad Hebr. 1. v. 6. interpretatur, hunc cultum Christo ut exhibeant, Psal. 97. v. 7. precipitur. Quod & baptismus noster, sigillum fœderis cum Deo, invocato Filio etiam, referendus.

C.

De Spiritus
 sancti Deita-
 te.

Eodem ordine inquirimus etiam in testimonia & argumenta, que nos de Deitate Spiritus sancti certos reddunt. Et primo quidem sacra scriptura Spiritui sancto quoque tribuit nomen Dei proprium, & ἰσχυροῦ θεοῦ: quando videlicet Dominus, hoc est, verus ac aternus Deus, locutus est per Prophetas: & id ipsum per Spiritum sanctum, qui & Spiritus Christi. 1. Pet. 1. v. 11. appellatur, factum fuisse traditur,

eraditur, & propterea sancti Dei homines, hoc est, Prophe-
ta à Spiritu sancto loquuti fuisse scribuntur. 2. Pet. 1. vers.
21.

CI.

Spiritus Domini, inquit David. 2. Sam. 23. v. 2. locutus
est in me, & Sermo eius per linguam meam: Dixit Deus Israël,
mihi locuta est rupes Israël, Sic idem Actorum. 1. vers.
16. scribitur fuisse Spiritus sanctus, qui & Act. 4. v. 24, 25.
DOMINUS dicitur & invocatur. Similiter Act. 5. v.
34. Petrus increpat Ananiam, quod Spiritui sancto, hoc est,
Deo mentitus fuerit. Eodem modo Ies. 6. v. 8. 9. ipse DO-
MINUS mandat, ut Propheta populo occasionem de-
nunciet: & hoc ipsum Spiritus sanctus precepisse scribitur
Act. 28. vers. 25, 26. Quod spectat & illud, quo nos templa
Spiritus sancti, & templa Dei appellamur, 1. Cor. 3. vers. 16.
17. c. 6. vers. 19. 20. 2. Cor. 6. vers. 16. ex Christi doctrina Io-
hann. 14. v. 16. 23. Quin. 2. Cor. 3. v. 17, 18. Spiritus sanctus bis
disertis verbis DEUS vocatur, ad quem converti nos de-
seat, vers. 16.

CII.

Nec natura Dei fert, ut Spiritus huius sit diversa, &
alius à Deo essentia, quia DEUS est Spiritus, Io. 4.
vers. 24. & quidem, ut immensus, ita purissimus ac perfe-
ctissimus, & omnis qualitatis, adeoque compositionis & divi-
sionis mutationisque expers. Quemadmodum Spiritus animæ
nostræ, essentialiter consideratus, nihil nisi anima ipsa est:
quamvis hæc non ita simplex, ut Deus, est, & quodcumque
est, mutabiliter est, suamque Spiritualem ac definitam à Deo
quantitatem, licet absque diamentris, cum certis qualitatibus
habet, sicuti & angeli.

CIII.

Deitas Spiritus sancti insuper ex attributis divina na-
tura

42
tura fit manifesta, ex quibus, primo intuitu, occurrit iterum aeternitas. Aeternum autem esse Spiritum sanctum, primo ex praemissis, & natura Dei, qua aeternus Spiritus est, facile colligitur: ideoque, ut Deus, ita & Spiritus Dei, aeternus est. Deinde Spiritus sanctus, in initio creationis, incubuit aquis: Gen. 1. v. 2. Ergo ante creationem fuit, ideoque Deus est, quia ante creaturas nil, nisi creator, fuit. Tertio, aeternitas Spiritus sancti colligitur ex fructu, quem consequuntur, quotquot Spiritui sancto vacant & dediti sunt, qui est vita aeterna, quae non, nisi ab aeterno Deo, adipisci potest. Scriptum autem est Gal. 6. vers. 8. ὁ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πνεύματος & θεοῦ ζῶντος αἰώνιον. Ideo, ut immutabilis est Deus, Malach. 3. v. 6. ita & Spiritus Dei dicitur incorruptibilis. Sap. 12. v. 1.

CIV.

Omnipresentem, & sic Deum verum, esse Spiritum sanctum, testatur David Psalmo 139. v. 7. Quò fugiam, inquiens, Domine, à Spiritu tuo? In quae verba ita commentatur & concludit Theodoretus: Notandum est, docuisse Psalmum eandem operationem habere & Deum & Spiritum sanctum, sanè, quorum est una operatio, una omnino est potentia, & quorum est una potentia, una est natura. Una igitur est Dei, & Spiritus sancti natura. Et, quemadmodum Deus, huiusque Sapientia, verissime gloriatur, quòd solus sit omniprensens, Syr. 24. vers. 8. Ego sola, inquiens, gyrum caeli circumivi, & in profundo abyssi deambulavi: sic Sapient. 1. vers. 7. scriptum extat: Spiritus Domini replet orbem. Vnde Basilius libr. de Spiritu sancto adversus Macedonianos Pneumatomachos, pro Deitate Spiritus sancti, ita argumentatur:

Omnis creatura habet substantiam circumscriptam.

Spiritus sanctus non habet substantiam circumscriptam.

Ergo non est creatura, sed Deus.

Omnis-

CV.

43

Omniscium Spiritum sanctum esse, luculentè quoque in scriptura affirmatur, dū is scribitur docere omnia, Iohann. 14. v. 26, arguere occulta peccata, ὁδηγῆσας εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν: Iohann. 16. v. 8. 13. ἐρευνῶν πάντα, καὶ τὰ βόθρη τοῦ Θεοῦ, 1. Cor. 2. v. 10, 11. Quis enim hominum, additur ibidem, novit ea, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo? ita etiam ea, quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei. Huc omnes revelationes, per Spiritum sanctum prophetis, de occultis somniis, & futuris Dei & hominum operibus, in veteri Testamento, & quidem non nisi ex omniscientia, factæ.

CVI.

Omnipotentiæ Spiritui sancto ascribitur Ies. 11. v. 2. & Sap. 11. v. 21. ubi Spiritus potentia Dei vocatur, ut & 2. Ti. 1. v. 7. & omnium æonorum Spiritus, 1. Cor. 12. v. 4. qui nunquam in se deficit. Omnibus quidem gratiam suam largitur, inquit Basilius in Sermone de Fide seu Trinitate, To. 1, p. 373. non tamen consumitur, sed participes ipsius implentur, & ipse in nullo deficit. Quemadmodum sol corporibus lucens, variè à quolibet sumitur, nec tamen propterea diminuitur: sic & omnibus quidem gratiam præbens, infractus remanet ac indivisus.

CVII.

Præterea & opera Dei propria Spiritus sanctus in scriptura vindicat sua, ut creationem & conservationem rerum, Gen. 1. v. 2. Psal. 33. v. 6. Iob. 33. v. 4, quæ tamen solius Dei est, Ies. 44. v. 24. Sir. 1. v. 9, Similiter sanctificationem & vivificationem omnium piorum in toto orbe, Levit. 21. v. 8, 15. 23. 1. Petr. 1. v. 2, quæ & regeneratio ac renovatio dicitur, Spiritui sancto itidem attributa, Iohann. 3. v. 6. 8. Tit. 3. v. 5. quæ omnia tertius Symboli Apostolici articulus complectitur.

CVIII.

Ulterius de Spiritu sancto in scriptura verissimè prædi-

49
catur, quòd mittat Prophetas ac Apostolos à seipso excita-
tos. Qui enim per Prophetas locutus est, eosdē is etiam misit,
ut & Apostolos, Act. 13. v. 2. c. 20. v. 28. Quin etiam Mes-
sias per Spiritū sanctum missus scribitur, Ies. 48. vers. 16. his
verbis: Dominus Deus mittit me, & Spiritus eius. Quae ver-
ba quòd non solum ad Iesaiam, ut communem Prophetam,
verum etiam ad Mesiam sint accommodanda, planum est
ex sequentis capituli 49. v. 6. ubi de eòdem, de quo antè dicto
capite, sermo est, dum Pater Filium, qui sponte se ab aeter-
no Mediatorem stitit, ita alloquitur: Levior videris, quàm
ut sis mihi servus ad erigendum tribus Iacob, & custoditos
Israëlitas reducendum? Ergo constitui te in lucem gentium,
ut sis salus mea, usq; ad extremitatem terra.

CIX.

Ex his omnibus talis demonstratio emergit:
Qui omnia opera Dei facit, ipse Deus est.
Spiritus sanctus, ut & Filius, facit omnia Dei opera.
Ergo Deus est. Quod etiam disticho illo, salvis tamen perso-
narum & officij distincti actionibus seu operibus distinctis,
comprehenditur.

Qui facit haec, Deus est: Facit omnia $\left\{ \begin{array}{l} \text{Filius} \\ \text{Spiritus} \end{array} \right\}$ Ergo
Unus & aeternus verus & ipse Deus.

CX.

Deniq; ex cultibus divinis Spiritui sancto debitis, ut &
ex eorundem violatione, & peccato contra Spiritum san-
ctum, ab omni spe veniae excluso, Matth. 12. v. 31. quòd ve-
rus Deus sit, docemur. Cùm enim fides ac invocatio, absq;
sacrilegio & idololatria, in nullam creaturam transferri
queant, sintq; connexa, adeò ut fides anima precatiois, &
haec illius lingua non immeritò dicatur, & Spiritus sanctus in-
vocetur, fides in ipsum omnino praesumitur, ipseq; hoc pacto
verus

45
verus Deus esse demonstratur. Ideo Ies. 6. v. 2. 3. Trinitatem, & sic Spiritum sanctum quoque, angeli seu Seraphim venerantur, eiusque prout supplicant. Et quoniam Act. 4. v. 24. invocatur is, qui per Prophetas seu os Davidis locutus fuit, ille ipse Act. 1. v. 16. clarissimis verbis perhibetur fuisse Spiritus sanctus. Similiter Act. 13. v. 2. 3. sancti & jejuniis & precationibus Spiritum sanctum venerati esse leguntur.

CXI.

Eodem spectat similiter fœdus, quod, mediante fide & invocatione, in baptismo, cum unico vero Deo, Patre, Filio ac Spiritu sancto etiam initur, nec non symbolum Apostolicum, in quo etiam in Spiritum sanctum nos credere profitemur. Unde tota Orthodoxa Ecclesia ad Spiritum sanctum quoque preces & invocationem direxit, quemadmodum devotissima etiam cantiones exemplo sunt; Qualis est: Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende: qui per diversitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate fidei congregasti, Alleluia.

CXII.

Tandem, cum peccatum in Spiritum sanctum, neque in hac, neque in futura vita condonetur, certe in eo crimen læsæ summæ majestatis erit, contra personam in Deitate tertiam, & huius officium, quo Spiritus sanctus, per verbum, divina efficacia, fideles in agnitionem Dei Patris & Filij Mediatoris, huiusque novæ viæ, omnes resipiscentes perducit: quod beneficium, & sic personam atque officium ipsius Spiritus sancti, qui temeriter negligit, & finaliter fastidit, furenterque blasphematur, is, citra omnem misericordiam damnatur in æternum.

CXIII.

In hoc peccato autem irremissibili, ceu in sentina quâdam, plura peccata atrociter confluunt, ut diiudicatum id sit difficilimum, neque ante obitum alteri strictè impingi debeat.

46

deceat, quamvis initia & primi gradus tanta impietatis in multis, pro dolor, deprehendantur. Primò enim huc concurrunt contemptus & abjectio officij, quo Spiritus sanctus arguit mundum, Iohann. 16. v. 8. Deinde proæretica & consulta abnegatio agnitæ veritatis, ventris causâ. Tertio, tripudium, post apostasiam, in blasphemia seu heresi capitali, more cancri in veneno, quasi re præclare gesta. Quarto odium & Cainica persecutio abnegatæ veritatis, & confessorum ejus, secundum illud vulgo tritum: Omnis Apostata est osor sui ordinis. Ultimo, hostilis in hoc odio, ad extremum usq; vitæ halitum, obduratio.

CXIV.

Siquidem autem in Symbolo Nicano non expressa fit mentio Deitatis Spiritus sancti: cum tum temporis in quaestionem hæc res non veniret, ut in tertio Dialogo Athanasii respondetur, & de Deitate Filij tantum disceptatio esset: Postea in Constantinopolitana 1. Synodo contra Macedonios luculentissima confessio de Spiritus sancti Deitate, eisdem Symbolo adiecta fuit, qua fideles aperte testati sunt, se credere eis τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τῆς πατρὸς ἢ τῆς υἱῆς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ ἡγῆ ὑἰῶ συμωροσ-κυνόμενον καὶ συνδοξαζόμενον, Tom. 1. Concil. p. 489. Vbi certè una & eadem dignitas, maiestas ac Deitas Spiritus sancti cum Patre & Filio asseritur, secundum illud Athanasii Tom. 1. de Comuni essentia Patris, Filij & Spiritus sancti: ὁ παὶς ὁμοτύμῳ ἢ ἁζία, ὁμοτύμῳ καὶ ἡ πνευματικῆς.

CXV.

In genere & specie hætenus doctrina de sacrosancta Trinitate ex sacra scriptura, attributis item, actionibus & cultibus Dei propriis confirmata fuit. Iam ergo, secundum thesin superiorem 65. singulares aliquot voces & phrasas scripturæ consideranda veniunt, quæ συνερίσθαι & collatione factâ,

Tertia classis probationum doctrine de SS. Trinitate.

facta eandem doctrinam illustrant, & contra Sabellianos
stabiliunt, quod tria distincta ὁμοίμενα in uno Deo sint. V-
bi enim locum habet particula negativa NON, ibi est diver-
sitas. Ast, in doctrina de Deo Patre, Filio, ac Spiritu sancto,
locum habet, quia recte dicere possum: Pater non est Filius,
Filius non est Spiritus sanctus, &c. Ergo diversa & distincta,
non autem separata, persona in uno Deo sunt.

CXVI.

Particula autem & phrases huc facientes, & in sacra
scriptura de Patre, Filio ac Spiritu sancto usurpata, sunt
prepositio, A, apud, cum, in, per, ad, &c. Filium à Patre esse, sci-
licet per aeternam generationem, palam est, ex istis oraculis,
ubi Psa. 2. ver. 7. Pater inquit: Hodie te genui, hoc est, à me,
vel ex me genitus es: & in generatione tui ab aeterno fit,
quod in tempore patet. Deus enim non gignit, ut homo, ve-
rum ἀρχόνως, καὶ ἀνάρχως, καὶ ἀπαύτως, καὶ ἀρρότως, καὶ ἐκ τῆς
σωδουασμῆς. καὶ ἔτε δέχην ἔχει ἡ ἀκατάληπτος αὐτῆς γέννησις,
ἔτε τέλει, ut est apud Damasc. lib. 1. cap. 8. circa finem. Est
autem in dicto Psalmo, manifesta relatio, quae omnino consi-
stit inter duos seu duas personas, gignentem scilicet & geni-
tam, quae ex gignente est. Sic Prov. 8. v. 22. Sapientia Dei, hoc
est, Filius de Patre sic inquit: DOMINVS possedit me, hoc est,
possessus seu ordinatus architectus, & redemptor orbis à Patre
ab aeterno acceptatus sum, & quidem ante colles, id est, ante
rerum omnium, inter quas colles maxime eminent & conspi-
cui sunt, creationem. Sic Eva pariens Cainum, inquit: Pos-
sedi virum: Gen. 4. v. 1.

CXVII.

De Spiritu sancto res aequè plana est, quia à Patre &
à Filio procedit, & sic à Patre & Filio, per emanationem &
processionem aeternam atq; ineffabilem, est, Iohann. 14. v. 26. c.
15. v. 26. Unde concluditur.

Qui

Qui accipit ESSE ab alio, necessario & revera ab eodem distinguitur. Sed Filius ESSE suum accipit à Patre, καὶ γέννησιν, & Spiritus sanctus à Patre & Filio κατ' ἐκπόρθεον. Ergo Pater, Filius ac Spiritus sanctus revera inter se distinguuntur: & quidem non solum imaginatione, aut diverso unius personæ respectu accidentario, sed verissime, ut tria singularia, licet non segregata, aeterna hyphistaena, quia in Dei aeterna & immutabili essentia & natura, nulla compositio aut divisio, nullumq; unquam accidens esse aut fingi potest.

CXVIII.

De reliquis distinctivis particulis idem statuendum: Quos enim sacra scriptura distinguit per proprietates & actiones personales, omnino distincta hyphistaena sint oportet. Ideo Iohann. 1. v. 1. extat scriptum: Verbum erat apud Deum: & v. 18. Filius scribitur esse in sine Patris. Ipse Christus inquit Iohann. 14. v. 11. Ego IN Patre, & Pater IN me est. Hoc pacto similiter tres personæ distincta exprimuntur Eph. 2. v. 18. PER ipsum, scilicet Filium, habemus accessum ad Patrem IN uno Spiritu. Sin Pater, Filius & Spiritus sanctus nuda essent nomina, secundum blasphemia Sabellij deliria, unicum duntaxat idemq; significarent ἰφιστάμενον: quemadmodum Marcus Tullius Cicero unam personam exprimit. Neq; particula superiores distinctiva in eo locum haberent: & absurdus esset, immo insaniret, qui diceret: Marcus erat cum Tullio: vel, Marcus & Tullius hoc fecerunt: vel, per Marcum habemus accessum ad Tullium in Cicerone.

CXIX.

Particule, Alius atq; Alius, in scriptura de Deo usurpata, idem quoq; discrimen distinctarum personarum, in uno Deo, indicant, analogice in his dictis comprehensa: nimirum quando Filius de Patre inquit, Iohann. 14. v. 32. Alius est,



est, qui testimonium perhibet de me. Et Iohann. 14. v. 16. c.
15. v. 26. de Spiritu sancto: Alium paracletum dabit vobis.
Hæc planè essent ἀσὺσαλα, & minimè consistere possent, si
Deus, ut Sabellius blasphemè cavillatus est, Deus τριῶν ὑπο-
στάσεων, & non τρισυπόστατος esset: quemadmodum Trini-
tas sacrosancta à Dionysio μὴνὰς τριῶν ὑποστάσεων, hoc est,
unitas tres hypostases habens, vocatur.

CXX.

Præter hæcenus allata distincta testimonia & argu-
menta ad probandum doctrinam de sacrosancta Trinitate, Quarta classis
probatum
non præter rem est, audire etiam consensum orthodoxum lu-
daica & Christiana Ecclesia, ante & post Christum exhibi-
tum: Quia, secundum poetam, magno est pro teste vetu-
stas: immo etiam exotica Philosophorum nonnullorum, ut &
Sibyllarum, ante Messia tempora edita oracula, ex Patriar-
charum schola & lectione vel auscultatione inter peregri-
nationes, hoc nomine à multis institutas, hausta. doctrinae de
S S. Trinita-
te.

CXXI.

Ipsi Iudæi inficias ire nequeunt, gentis suæ doctores pri-
scos, quos à singulari scientia doctrina sacra Rabbinos vo-
cant, ante Messia incarnati tempora, doctrinam de tribus
personis in uno vero Deo habuisse cognitam, neq; eandem u-
bivis dissimulasse, de quorum traditionibus hac in doctrina
parte consulatur Petrus Galatinus, & Philippi Mornei de
Religione Christiana eruditissime scriptus liber.

CXXII.

Præ reliquis allegatur Rabbi Ibbai in Deut. cap. 6. v. 4.
qui sententiam istam: Audi Israël, Dominus Deus noster,
Dominus unus est: ita fuit interpretatus: Per primum, vi-
delicet illud, DOMINUS, quod Dei incommunicabile
nomen est, intelligi Patrem, omnium principem: Per ELO-
HIM autem (quod cum affixo Eloheum, hoc est, Deus no-
ster,

50
ster, tanquam Emanuel, ibi enunciatum) Filium, omnium
scientiarum fontem: Per secundum autem illud, DOMI-
NVS, Spiritum sanctum, ex ambobus procedentem, qui qui-
dem vocis mensura est. Vocat verò unum, quia individuus
est, nec revelabitur (inquit ibidem) hoc arcanum ante ad-
ventum Messiae. Similiter Rabbi Simeon enarrasse scribitur
ἐπεὶ τοῦτον ex Ies. 6. v. 3. hoc modo: Sanctus Pater, & sanctus
Filius, & sanctus Spiritus sanctus.

CXXIII.

Adiungatur insuper nominis mirifici, quod τετραγέαμ-
ματόν vocant, apud Rabinos ut extat, declaratio. Licet enim
in veteri Testamento per reverentiam vulgò illud effari non
sint ausi, ut neq; LXX, Bibliorū interpretes, aut etiam Chal-
daica translatio: tamen vim & significationem nominis eius-
dem augustissimi, & Deo in quarto modo proprii, ὡς ἐν τῷ
Φερόν, Audeorum Doctores exprimere conati sunt. Hinc ad-
invenerunt voces duas polysyllabicas, arte & industriā ita
compositas in sancta lingua, ut alterum duodecim, alterum
quadraginta duabus constaret literis, & utrumq; mysteri-
um Trinitatis, hoc est, unum Deum, qui est Pater, Filius &
Spiritus sanctus, qui nomine τετραγέαμματόν seipsum indi-
gitavit, completeretur.

CXXIV.

Vox enim duodecim literarum, pro Dei nomine proprio
atq; essentiali substituta, idem apud Hebraeos sonat, quod
apud Latinos: Pater, Filius & Spiritus sanctus. Altera
verò vox, 42. literis apud Hebraeos constans, idem sonat,
quod Latinis: Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus
sanctus Deus: Tres in uno, & Unus in tribus.

CXXV.

NH

57

Nil obstat hic, quod minus etiam attingamus, quid Philosophorum aliquot Principibus de hoc mysterio innotuerit, non quidem ex rationis lumine, sed traditione Iudaica, de qua gentiles quoque, omnia doctrinarum genera scrutantes, aliquid acceperunt. Et inter hos maxime celebrantur Zoroastres Chaldaeus, & Mercurius Trismegistus Aegyptius, quorum illum aliqui Chami nepotem, à Nino Assyriorum Rege devictum, fuisse affirmant: de quo etiam apud Plinium lib. 7. cap. 16. alterum verò circa Mosis tempora floruisse, ut Philosophum, pontificem & Regem in Aegypto ter maximum, ex Augustino colligitur lib. 18. cap. 39. de C. D. quem etiam allegat Cyrillus lib. 1. contra Iulianum pag. 18. & Suidas eundem θεομεγιστον appellari vult, quod inter Aegyptios clarissime de Trinitate locutus sit, in Trinitate unam esse Deitatem asserens. Et ab his Persarum magi doctrinam & exemplum acceperunt.

CXXVI.

Ex eorundem monumentis, quae ad nos pervenerunt, quorum aliqua à Platonis, longe ante Christum natum, ex Aegyptiaca lingua in Graecam conversa sunt, haec pauca testimonia allegasse sufficiat, ex quibus liquidum evadet, in mediis gentilium tenebris veram tamen de sacrosancta Trinitate doctrinam alicubi etiam vel historicè, aut enigmaticè saltem, nec ἱερογλώσσοις sanorum verborum semper conservatà, fuisse recitatam & in literas relatum. Apud Zoroastrem oracula illa sunt insigniora, quibus titulum fol. 8. fecit: *μονάς, δύοάς, ἡγία τριάς*. Item, *πατρὴς ἡγία ὄντων*.

CXXVII.

Inter plures ibidem collectas sententias haec sunt clariora:

G 2

εἰς

52

ἔἰς τρεῖς γὰρ νῦν εἶπε πατὴρ, τέμνεσθαι ἅπαντα,
 ἔτὸ θέλειν καλένευσε, καὶ ἤδη πᾶν ἔτελειτο
 Et paulò ibidem inferius: πᾶν γὰρ ἐξέτελεσε πατὴρ, καὶ
 νῦν παρέδωκε δευτέρῳ. ὃν πρῶτον κληίζεται πᾶν γένος ἀνδρῶν
 πατρογενὲς Φάος.

CXXVIII.

Hermetis Trismegisti selectiores sententiae extant in
 libro, cui nomen Pæmandrifecit, id est, Pastoris hominum,
 qui Deus ipse est, & ibidem sic ad Hermetem in visione ait:
 ἐγὼ μὲν εἰμὶ ὁ ποιμάνδρης, ὁ τῆς αὐθεντίας νῦν, hoc est, Ego sum
 Pæmander, mens ejus, qui suprema potentia est. Postea mi-
 rabili etiam imagine conspiciendum se Deus præbet, ut men-
 tem, & ex mente lucidum verbum, quod, ὁ φωτὴν ὁ λόγος
 scilicet, expressè eodem in loco Θεοῦ υἱὸς appellatur. Et pau-
 lò inferius: ὁ δὲ νῦν ὁ θεὸς ὦν, ζωὴ καὶ Φῶς ὑπάρχων, ἀπε-
 κύησε λόγῳ ἔτερον νῦν δημιουργόν. Ibidem & Deus τὸ πνεῦμα καὶ
 πνεῦμα καλεῖται vocatur.

CXXIX.

De hoc Mercurio, literis insuper proditum est, quòd
 tres personas Deitatis conjunctim hoc modo invocare solitus
 sit: O vita, serva in me, quod est in me: ὁ lumen & Deus Spi-
 ritus illumina me totum: ὁ Opifex, qui Spiritum tuum cir-
 cumgeris, regat me verbum tuum. ὁ Domine tu Deus unus
 es. Plura autem apud Cyrillum, Augustinum, Suidam &
 Franciscum Patricium Senensem legere de iisdem licet.

CXXX.

Quòd ad Græcos Philosophos, neque horum antiquissimè
 & prestantissimè: (siquidem abstrusa scientia cupidi, longin-
 qua ad Chaldaeos, Hebræos atque Ægyptios itinera confecerunt,
 cum quorum sacerdotibus in urbe Ægyptiorum Helio-
 poli tredecim annos Eudoxo & Platoni domum, diatribas
 & conversationem fuisse, Strabo libro Geographiæ 17. p. 764.
 & ex hoc Franciscus Patricius in mysticis & exotericis Pla-
 tone

53
eone & Aristotele, fol. 3. scriptū reliquit) doctrinam hanc planè ignorarunt: licet progressu temporis, idololatricis opinionibus eam recentiores fœdissimè contaminatā planè oblitterarint. De Orpheo, qui anno ante Christum natū circiter 1236. inter Gideonis & Iephtæ tempora vixit, Cyrillus, lib. 1. contra Iulianum scribit, quòd initiò totus deditus fuerit opinioni de multitudine Deorum fanatica, tandem verò ad sanio-rem mentem rediens, doctrinam de vnico Deo & distinctis in vno Deo personis suo pro modulo amplexus sit, neg, tamen hanc, ut abstrusorem sapientiam, omnibus propalam predicari voluerit.

CXXXI.

Dum ergo is palinodiam instituit, & doctrinam de Deo veram aggreditur, hac utitur προσφωνήσῃ:

Φθέγξομαι, οἷς θεμὶς ἐστὶ, θυροῖς δὲ ἐπίθεσθε βεβήλους, h. e.

Dicam fas quibus est: vanis sed claudite portas.

Postea expresse commēdat Deum & Verbum, quod τὸ κόσμος τυπώτην ἀθένατον vocat, hoc est, mundi formatorem immortalem. Et qua precatatione Aegyptij quidam uti solebant, qualem ex ore Trismegisti didicerant, talem versibus Orpheus reddidit:

Ὀυρανὸν ὀρκίζω σε θεῶν μεγάλων σοφὸν ἔργον,
Αυδὴν ὀρκίζω σε πατρός, ἣν φθέγγασθαι πρώτην.

CXXXII.

De Pythagora, qui tempore captivitatis Babylonica, ut & septem Sapientes Græcia, floruit, ac totus fuit enigmaticus, Aristoteles lib. 1. cap. 1. de Cælo prodidit, quòd omnem perfectionem in numero ternario collocare solitus fuerit. Nec Plato (de quo Numenius Pythagoricus, ut est apud Theodoretum lib. 2. de Principiis To. 2. p. 567. dixit: τί γὰρ ἐστὶ πλάτων, ἢ μωϋσῆς ἀρκίζων;) hīc planè fuit ἀσύμβολος aut hospes doctrinæ huius ignarus, sed alicubi duarum, alicubi trium

54
trium hypostaseō in uno Deo facit mentionem, licet in-
juria sui seculi eidem semper insistere, aut ad veram unius
Dei veri agnitionem & confessionem sese firmiter & constan-
ter erigere haud potuerit, nomina mentis aeternae, λόγος,
nec non Spiritus potius tenens, quam Deum ipsum rite pra-
dicans.

CXXXIII.

Prisca haec Philosophia, tincta notitiolis Veri Dei, à
tempore Aristotelis, qui ut Plinius, creaturarum, quam
creatoris, & secundarum causarum, quam primae, sedulus
potius indagator fuit, ut plurimum sanè apud Græcos eva-
nuit. Verùm Platonicæ scholæ sectatores subinde eandem
revocârunt, & discipulis suis, liberè philosophando, etiam
post Messiam exhibitum, communicârunt. Exemplo est
Amelius Platonius, ut apud Cyrillum lib. 8. contra Iulia-
num apparet, qui Christianas loquendi formulas, ut Ethni-
cus, quidem detractavit, rem ipsam attrectans, & Deum
tres Reges statuens, videlicet eum, qui est, eum qui ha-
bet, eum qui videt: & hoc modo mysterium istud de industria
magis obscuravit, quam declaravit.

CXXXIV.

Idem Amelius, postquam se variè, hac in doctrina re-
censenda, proprii sermonis δοξολογία elatus torsit, tandem
Iohanni Evangelistæ subscribit, dum de secunda hypostasi
inquit: Certè hic est ille λόγος, qui ab aeterno est, secun-
dum quem factum fuit, quicquid est, ut Heraclitus (qui
ultimi Darij tempore vixit) censuit: Et, per Iovem, idem
ille λόγος est, quem Barbarus ille, (scilicet Iohannes Eu-
angelista, à supercilioso Græco Philosopho per contemptum ita
appellatus) apud Deum in principio fuisse ait in confusione
& dispositione rerum, & Deum esse, per quem omnia abso-
lute facta sunt, & in quo vivunt, vitæq; & essentia existunt.
Hunc

55
Hunc porro λό γου carne humana indutum, hominem ap-
paruisse, nec eò minus tamen maiestatem naturæ suæ exe-
ruisse: quin & hac vita solutum revixisse, & Deitatem re-
sumsisse, & Deum omnino fuisse, sicut erat ante, quam in cor-
pus, carnem & hominem descenderet. Hæc ex Cyrillo.

CXXXV.

Similiter scribitur Aurelius Philosophus Platonicus,
discipulus Ammonij, cum legisset initium Evangelij Iohan-
nis, exclamasse: Dispeream, nisi Barbarus ille breviter
complexus est, quæ de divina ratione, principio, & dispo-
sitione, Plato & Heraclitus tradiderunt: De quibus Theo-
doretus etiam lib. 2. de Principiis, Tom. 2. p. 565. videri po-
test. Quin Platoniorum quidam tantifecit initium Evan-
gelij Iohannis, ut quemadmodum Augustinus se hoc à sancto
senæ Simpliciano, Mediolanensis Ecclesiæ Episcopo audivisse,
lib. 10. de C. D. c. 29. testatur, aureis id ipsum literis con-
scribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis
proponendum esse statueret.

CXXXVI.

Præterea cum Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom.
scribat, quod Paulus ad Sibyllarum lectionem gentiles hor-
tari solitus fuerit, quas Cicero lib. 2. de Divinatione mira-
tur, ut quæ insane, hoc est, divino quodam furore actæ, vi-
deant, quod Sapientes non videant, & quæ, dum sensus hu-
manos amittunt, divinos assequantur: attendimus etiam,
quæ inter harum carmina, hæc augustissima de doctrina,
indicia Deus extare voluit: Præsertim cum his nihil vetu-
stius Ethnici recitent, Philippo Melanchtone lib. 2. Chron.
teste.

CXXXVII.

Inter plures alias autem hæc excellit Sibylla Ery-
thraea, ex Asia oppido Erythris oriunda, quæ ante Sam-
sonis

56

sonis atatem , tempore Trojani belli , vixisse scribitur , & mille circiter & ducentis ante Christum natum annis , vaticinari cœpit , secundum Augustinum lib. 18. de C. D. c. 23. Et hæc quidem ferè omnia , quæ Servatori nostro in terris acciderunt , immo & adventum Christi ad iudicium , versu carptim complexa fuit , ut apud Lactantium lib. 4. de vera sapientia , cap. 6. & c. nec non lib. 7. c. 18. æquè ut in 8. Sibyllinorum oraculorum , quæ extant , libris videre est.

CXXXVIII.

Ita autem describit Sibylla Erythraea Trinitatem in minis sui , quod Lactantius d. l. allegat , principio :

Παντρεόφρον κλισίην, ὅσις γλυκὺ πνεῦμα ἀπαρί
κάτθετο, χ' ἠγητήρα θεῶν πάντων ἐποίησε.

is enim in versibus Patrem vocat omnium nutritorem eatoremq̄ , qui dulcem Spiritum omnibus apposuit , ac Principem omnium Deorum fecit , hoc est , Filium Principem omnis maiestatis creata constituit : quemadmodum idem etiam ad Colos: 2. v. 10. ab Apostolo κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, id est , caput omnis imperij ac potestatis nominatur , id quod solius Dei est.

CXXXIX.

A finē, insuper carminis à Lactantio ibidem additur hic versus:

Αὐτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσι γεράρειν. hoc est,
Eum dedit Deus fidelibus viris honorandum : Quod congruit cum illo apud Iohann. 5. v. 23. ubi Filio dedisse iudicium Pater scribitur , ut omnes honorent Filium , pro ut honorant patrem. Idem Servator apud aliam Sibyllam , ut Lactantius refert , expresse vocatur Filius Dei : Αὐτὸν σὸν γίνωσκε θεόν, θεοῦ υἱὸν εἶόντω, hoc est , Ipsum tuum cognosce Deum , qui Dei Filius est.

CXL. Memo



CXL.

Memorabilis autem cum primis est ἀνεπίστατος illa, quam Sibylla Erythraea, intra sacrarium sui adyta conclusa, & divino quodam instinctu, ut apud Eusebium in Oratione Constantini M. ad sanctorum cœtum cap. 18. scribitur, afflata, mira arte confecit, & Græcorum versuum talia initia posuit, ut 27. prima ex ordine istorum versiculorum litteræ, si colligantur, nomen Filij Dei hoc modo representent: *Ἰησοῦς Χριστός, Θεοῦ υἱὸς σὺν ἡμῶς.* Versuum illorum etiam paulò antè dicto loco, & quidem propter abstrusi argumenti sublimitatem, iniquiùs mentionem facit, quos in libro Orthodoxographorum p. 1518. legere in promptu est. Quin Eusebius acrostichidem illam ab ipso Cicerone in Latinum sermonem conuersam fuisse, scribit in Oratione Constantini ad sanctorum cœtum c. 19. ubi Eusebij interpres imitatione non infelici talem latinam acrostichidem compositam adjecit, cuius primordiales à fronte litteræ hunc reddunt sensum: **IESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR: CRVX.**

57
Acrostichū
integra vi-
deatur infe-
rius à calce
thesum.

CXLI.

Diabolum esse mendacem Spiritum novimus: sed cum idem vel Altissimi nutu coactus, vel astu rem agens, & sibi suisq; pseudoprophetis auctoritatem conciliaturus veritatem alicubi dixerit, contra ipsum audire proprium testimonium etiam licet. Inter Demonum autem responsa seu oracula, quæ doctrinam de sacrosancta Trinitate publicè testata fuerunt, hæc sunt eximia: Quando videlicet Thulis totius Aegypti regnum usq; ad Oceanum tenuit, & insulam quandam ibidem de se Thulim appellavit: Idem enim successibus regni elatus Oraculum Serapidis, primary apud Aegyptios Demonis adiit, & re divina facta, ita qua sua erat insolentia, quæsiuit: Quis ante meum regnum potuit

H

tan-

58
tantum ? aut quis erit post me ? cui Daemon hoc modo re-
spondit :

Πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, ἔπειτα πνεῦμα σὺν ἀπὸ,
πάντα ἡ σύμφορα ταῦτα, καὶ εἰς ἐν ἐόντα τέτυκται,
οὐκ ἐστὶ αἰώνιον ποσὶν ὄκεσι, θνητὲ, βαδίξ,
τὸν βίον ἀδελον Δαγνύων ἔξ πολὺ κρείσων.

CXLII.

His versibus 1. expresse Pater, Filius, & Spiritus san-
ctus, nominatur; postea horum unitas asseritur, ut & eter-
na potentia. Tertio Rex Thulis sine mora discedere jubetur,
ut qui cum Deo nullo modo comparandus, eiq. propterea in-
visus, quod se neminem superiorem aut potentio-
rem esse somniaret. Et pœnas fanè superbiæ & insolentia suæ idem è
vestigio quasi dedit, templo egressus, & à suis, in Afrorum
regione, communi cum Sennaheribo, Rege Assyriorum, 2.
Reg. 19. vers. 37. fato sublatus, ut est apud Suidam in no-
mine Thulis.

CXLIII.

Postquam autem Verbum caro factum est, Demones
eidem adhuc puero testimonium æternæ Deitatis (ut & co-
ram adulto faciunt, Matth. 8. vers. 29. Marc. 5. vers. 7.)
publice perhibere coacti sunt, ut in Augusti, Imperatoris
Romani, historia videre est, apud Niceph. lib. 1. c. 17. Et
apud Suidam in appellatione Augustus. Hic enim pacatum
Orbem, ut summus Monarcha gubernans, tandem prove-
ctiore ætate, ductus curiositate, summis principibus alicu-
bi familiari, Delphicum Oraculum, toto tunc terrarum
Orbe celeberrimum, consuluit, & solenni sacrificio (quod
Hecatombe, à centum bobus, avaro Demoni mactandis, ut
πολυτελής θυσία, dictum fuit) pacto quasi vitæ, quisnam post
ipsum, Romani Imperij caput, secuturus esset? Ast, cum ob-
mutesceret Oraculum, alterum quoque sacrificium, placan-
di ano-

59
di ambitiosi Daemonis ergo, Augustus adiecit, acnuog, ro-
gavit: Quid ita, pluribus aliàs uerbis uti solitum, nunc
s tandem obticuisset oraculum? tunc illud exigua interve-
niente mora, ita rſpondit:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με, θεὸς μακάρεσσιν ἀνάστων,
Τὸν ἴδόντων προλιπεῖν τε καὶ αὐτῆς αἰδῆσθαι ἰκέσθαι.
Λοιπὸν ἀπιθισίων ἐκ βωμῶν ἡμετερέων.

hoc est,

Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

CXLIV.

Ad doctrine hujus, cuius patrocinium professio Chri-
stiana contra infideles suscipit, probationem, maximum
quidem momentum affert Deus ipse in testimonio Prophetico
& Apostolico: Interim dulce etiam est testimonium historia-
rum, que hanc doctrinam à primordio mundi notam & in
populo Dei receptam, immo etiam gentibus non planè inco-
gnitam, atq; à Sibyllis & Dæmonibus ipsis decantatam fuis-
ſe, tradunt, & hostes veritatis malitiæ obstinate & affecta-
te ignorantie atq; occæcationis, domesticis ipsorum testimo-
niis arguunt & convincunt, ut hæctenus ostensum fuit, præ-
sertim quantum ad ætates mundi, que exhibitionem Messie
anteceſſerunt, attinet.

CXLV.

Iam etiam non præter rem erat audire Orthodoxum
consensum Doctorum & Patrum Ecclesie Græcæ & Latine,
qui à tempore Apostolorū tubæ veritatis in mundo fuerunt,
quorum clangorem ne Antichristus Romanus, in medio
templi Dei sedens, elidere, aut doctrinam de Sacrosancta
Trinitate abnegare ausus fuit. Quin hoc ipso articulo, ut &
de Christo incarnato, sartò tectò conservato, ad partem seu
modum etiam Altissimi loquens, ut Danielis 7. v. 25. prædictū

H 2

est,

est, hoc egit, ut instar larvati & personati propheta, totum mundo effascinato imponeret, suaeque impietati velum ex nomine Altissimi faceret. Atqui hoc Deus longè alio fine, & propter electos in medio papatu ita fieri voluit ac decrevit, quos vel in agone de omnium traditionum humanarum fermento & quisquilis desperantes, solius Trinitatis & Christi incarnati & crucifixi, & baptismatis in huius nomine suscepti recordatione, ad condensos motus & agonistica suspiria fidei justificantis erigere, & ut 7000. fidelium sub Ahabi idololatraco regno, 1. Reg. 19. vers. 18. salvare solitus est.

CXLVI.

Cum autem, praeter Apostolicum, non solum alia essent etiam Symbola Catholica ac authentica, videlicet, Nicenum, Athanasianum, ab exule Athanasio apud Treviros, anno 336. scriptum, & Constantinopolitanum, verum etiam ex Orthodoxis Patribus medulla à pluribus sit elicita, & compendiosè discentibus, tum in multis aliis, tum in hoc etiam religionis Christianae capite, proposita, recensendi dicta patrum labore hic supersedendum censemus, ad libellos Epitomicos, ex Doctoribus Ecclesiae priscis confectos, studiosos Theologiae remittentes: quales sunt Unio dissidentium, Polyanthea, Catholicus & Orthodoxus consensus, Loci communes Iohannis Chassanionis, Symphonia Polani, Medulla Sculteti: quibus etiam Catechesin Heidelbergensem à Reinerio Bachosio Echtio testimoniis sacrae scripturae, ac sententiis sanctorum Patrum, qui primis quingentis à Christo nato annis in Ecclesia Dei claruerunt, exornatam & illustratam meritò accensemus.

CXLVII.

Sufficiat interim una atque altera ex patribus sententia, quales & superius inspersas vidimus, fideliter memoria

ria

67
via infigenda. Et quidem illa potissimum, qua instar stellulae
lucet apud Iustinum Martyrem in Expositione Fidei:
μονας εν τετραδι νοειται, η εν τετραδι εν μοναδι γνωριζεται; ubi ne-
cessaria hac commonefactio additur: Quod modus Vnitatis
in Trinitate, & Trinitatis in Vnitate non possit capi, quia
1. lingua lutea non potest res ineffabiles proferre. 2. mens
quantumvis pura, tamen carne gravata redditur infirmior,
ut & liber Sap. 9. v. 14. testatur. 3. additur à Iustino exem-
plum Pauli, quod nimirum is quoque, ut ut eximius Christi A-
postolus, ex parte tantum divina agnoverit, 1. Cor. 13. v. 9. in
tertium usque caelum licet raptus fuerit, 2. Cor. 12. v. 2.

CXLVIII.

Exultantis, ob huius mysterij certitudinem, Nazian-
zeni sententia haec fuit, sicuti scriptam reliquit in libro de
baptismate p. 250. & φθάνω εν νοησαι, η εν τρισι περιλαμπομαι.
& φθάνω τα τρια διελειν, η εν εις το εν αναφερομαι: hoc est, Non
contingit, vel non possum experiri, ut unum considerem
(scilicet in Deo) quin tribus illustrer: nec fit, ut tres (sci-
licet personas in Vno Deo) distinguam, quin statim in u-
num, seu unitatem essentiae reducar. Perspicuum etiam
cōfessionis huius testimonium extat apud Cyrillum, Hieroso-
lymitanum Archiepiscopum, qui 66. annis ante Cyrillum A-
lexandrinum claruit, catechesi 16. p. 339. Vnus Deus Pater,
veteris & novi Testamenti Dominus: Et unus Dominus Ie-
sus Christus in veteri per Prophetas predictus, & in novo
veniens: Et unus Spiritus sanctus, qui per Prophetas de
Christo predicabat, adveniente autem Christo, descendit &
monstravit ipsum. Quod illud Damasceni libr. 1. cap. 8.
& γδην ποτε ο πατηρ, οτε σεν ην ο υος αλλ' αμα πατηρ, αμα
υος ο εξ αυτου γεγεννημεν. Πατηρ γδ εκτος υς σεν ανκληθειν.
Suffiramus ergo qui ad verum Deum, qui est Pater & Filius
&

67
& Spiritus sanctus, ita ut Nazianzenus solitus fuit: *σὺν με, σὺν με, Φιλητείας*: Quod votum ex dicto patre, *ὡς ὁ Θεὸς ἁγίας τὸν ἄρπον*, allegatur à Francisco Nansio in Nonni, poeta Christiani Graci cultissimi, editione, pag. 294.

C XLIX.

Inter Latina Ecclesie Doctores eminent Augustinus, qui integros libros de Sacrosancta Trinitate scripsit, & ceteris etiam in scriptis suis de eadem insignia testimonia edidit. In libro. 7. de Trinitate, inquit: Tres personas ejusdem essentia, vel tres personas unam essentiam dicimus: Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus. Et lib. 15. de Trinitate: Quicquid de Deo dicitur, est Deus ipse; In illa verò Trinitate Trinitas est unus Deus. Quod sanè est mirabiliter ineffabile, vel ineffabiliter mirabile. Cum primis hic *ἀξιομνημόνεον* est illud Augustini, quod in toto capite 1. lib. de Fide ad Petrum Diaconem perscripsit, hac quoque regulà insertà: Quocunque loco fueris constitutus, quia secundum regulam, nostri salvatoris imperio promulgatam, nōsti, te in uno Patris & Filij & Spiritus sancti nomine baptisatum, principaliter atq; indubitanter toto corde retine Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum, id est, sanctam atq; ineffabilem Trinitatem, unum esse naturaliter Deum, de quo in Deuteronomio dicitur: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et paulò post: Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu sancto est, totus Filius in Patre & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio: Nullus horum extra quemlibet ipsorum est: quod nemo alium aut precedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

CL.

Varia insuper à Patribus adhibentur similitudines à rebus

63
rebus creatis desumpta, quibus hoc mysterium rudi populo
nonnihil declarare conantur, à minori ad majus eundem
deducentes, ut cogitet & concludat: Si creaturae reperiun-
tur, in quibus essentia una, indivulsa, & tres tamen distin-
ctae proprietates reperiuntur: multò minus in patefacto Deo
unitas essentiae & Trinitas personarum in dubium voca-
ri debet: licet nulla similitudo dari queat, qua nihil disti-
militudinis habeat, & qua hac in questione maiestatem tan-
ti mysterij assequatur.

CLL.

In symbolo Niceno Filius vocatur $\Phi\omega\varsigma \epsilon\kappa \Phi\omega\tau\omicron\varsigma$: A-
thanasius similitudinem à sole, in quo lux, splendor seu co-
lor & calor, petitam inculcat, & Trinitatem $\tau\epsilon\iota\sigma\eta\lambda\iota\omicron\nu$
 $\Phi\omega\varsigma$, quasi trifolare lumen vocat, lib. de Comuni essentia
Patris, Filij & Spiritus sancti. In igne seu flamma splen-
dida, & iride, etiam imaginem querit Basilius Epist.
43. ad Gregorium Fratrem. Augustinus verò ad animam,
que nobilissima in terris creatura est, & qua imaginem
Dei in primis parentibus precipuè gestavit, respicit libr.
10. & 14. de Trinitate, & libr. de Spiritu & anima
cap. 13.

CLII.

Petrus Lombardus lib. 1. Dist. 3. Psal. 8. Augustinum
imitatur, & declarat, quòd, quemadmodum tres po-
tentiae à Deo sunt create, ut singula non solum com-
prehendant se & singulas alias, verum etiam singula capi-
ant omnes alias: Ita in Patris persona non solum pater, ve-
rùm etiam Filius ac Spiritus sanctus, propter $\epsilon\upsilon\sigma\iota\alpha\varsigma \tau\omega\upsilon$
 $\tau\omicron\tau\eta\lambda\alpha$, sit. Idem de reliquis duabus personis esto iudicium.
Verba Lombardi haec sunt: Aequalia sunt non solum singula
singula.

singulis, sed etiam singula omnibus, alioquin non se invicem caperent: se autem invicem capiunt. Capiuntur enim & à singulis singula, & à singulis omnia. Memini enim me habere memoriam & intelligentiam & voluntatem: Et intelligo, me intelligere, & velle atq; meminisse: Et volo, me velle, & meminisse, & intelligere.

CLIII.

Eandem confessionis nostræ declarationem Prosper hoc Epigrammate in Sentent. Augustini. 107. complexus est:

Sic magnus Deus est, de se valet, & manet in se.

Cui summum & proprium est, semper id esse, quod est.

Splendet enim verum vero de lumine lumen,

Ut Genitum agnoscens, noverit Ingenitum.

Vna trium Deitas, una est sententia ab uno,

Idem est & Verbi Spiritus atq; Patris

Nullum opus abjunctum, nulla est non æqua potestas,

In cunctis vnum sunt tria principium.

CLIV.

Hæc omnia, quæ hætenus recensuimus, de fide verè Catholica Ecclesia testantur & confirmant,

Quòd Pater & Natus, quòd Sanctus Spiritus unus

Sit Deus, & numerū triplicet Substantia simplex,

secundum Aratorem Subdiaconum lib. 2. historia Apostolica.

CLV.

Cùm autem jucundum sit, gentis suæ majores habere fidei & religionis sincerae socios, constare hinc quoque debet, quòd Deus & veteres Germanos, haud longè post exaltatum Christum, in superiore Germania, luce hujus mysterij digna-

65

dignatus fuerit. Apud Irenaeum enim Lugdunensem in Galliis Episcopum, anno 175. clarum, hujus rei testimonium extat: qui postquam lib. 1. adversus haereses c. 2. Ecclesie Catholicae fidem de Trinitate, & misso Filio etiam, paucis recensuit, ibidem c. 3. in Germania quoque Ecclesiis eandem doctrinam sonuisse, his verbis fatetur: Etsi in mundo διάλεκτοι ἀνόμοιοι, hoc est, loquela dissimiles sunt: Virtus tamen traditionis una & eadem est: & neque haec, quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae, aliter credunt, aut aliter tradant: neque haec, quae in Hiberis sunt, neque haec, quae in Celtis, neque haec, quae in Oriente, neque haec, quae in Aegypto, neque haec, quae in Libia, neque haec, quae in medio mundi sunt constitutae: Sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus & idem est, sic & lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.

CLV.

Denique cum, post singularem Dei clementiam, Germania sanctis Imperatorum Christianorum legibus acceptum merito referat, quod furores Antitrinitariorum, qui in vicinis aliquot regnis ac provinciis receptum habent, & impune profeminati grassantur, intra sua viscera nec multum viderit, nec senserit, cum jure civili à finibus Imperii proscripsi merito sint, gratamente etiam hoc beneficium agnoscimus, & sanctiones publicas in jure, quae confessionem de Sacrosancta Trinitate continent, religiose observamus, capitalesque haereticos etiamnum Deo convertendos, aut evertendos, & magistratui coercendos legitime volumus.

CLVI.

Sic autem habet sacratissima constitutio Imperatoris
Iustinia-

66

Iustiniani, quã decreta Synodi Ephesina contra Nestorium, & Chalcedonensis contra Eutychen simul confirmata sunt, C. li. 1. de Summa Trinitate & Fid. Cathol. T. 1. edito 5. Recta atq; irreprehensibili fide, inquit Imperator, quam predicat sancta Dei catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem recipiente, sequentes nos sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in sanctis Dei Ecclesijs conversati sunt, dogmata, justum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualiter de Spe, qua in nobis est, sentiamus, insistentes traditioni & confessioni sancta Dei Ecclesia Catholica. Credentes enim in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unam substantiam in tribus hypostasibus adoramus unam Deitatem, unam potestatem, Trinitatem consubstantialem.

CLVII.

Græca confessionis Imperatoris verba hæc sunt: Πιστεύοντες γὰρ εἰς πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, μίαν ἕσταν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν προσκυνῶμεν, μίαν θεότητα, μίαν δύναμιν, τριάδα ὁμοῦσιον. Eadem in jure Canonico, & quidem haud immeritò repetuntur & inculcantur, Decret. part. 3. de Consecr. Dist. 3. c. 30.

CLVIII.

Reprobatio
hæresium An-
trinitario-
rum.

Tandem ab omnibus hæreticorum portentis abhorret confessio hæc Catholica, quotquot unquam contra Ecclesiam & agnitionem unius veri Dei, qui est Pater, Filius ac Spiritus sanctus, ab Orco Sathan suscitavit, qui ve essentiam Dei simplicissimam multiplicant, vel personas coeternas negant aut confundunt.

CLIX. In-

Initio execratur Catholica fides, cum Paganis & Epicureis, Manichæis, qui duos Deos; & stercora Sathana, Valentinianos, qui plura non tam coorta in tempore numina, quàm crimina, sceleratè consinxerunt: Cuiusmodi furores Ethnicismum potius, quàm Christianismum spirant. Postea non minus illa abhorret ab informi & exoleto Trinitarum seu Triformianorum delirio, quo non tantum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres personas, sed tres Deos, quales male feriat pictores tribus disiunctis simulacris idololatrice expriment, esse somniarunt, Christianam religionem hoc nomine coram Iudeis, ut hodie coram Turcis quoque, suspectam & despectam reddentes, ludibrioque exponentes.

CLX.

Ex altera parte exhibet confessio Catholica etiam Sabellianos, qui, ut unam Dei essentiam, ita & unam tantum personam esse contendunt, cui, diverso respectu, tria nomina, Patris scilicet, Filii & Spiritus sancti, assignata sint: ac si Cicero, respectu filii sui, parens, parentis ergo filius, & consul propter officium dicatur. Quod delirium siquidem ex diametro pugnat cum manifesta scriptura, & operibus in Trinitate internis seu personalibus, & externis, quò ad agendi ordinem, refutatur, idem per Dionysii Episcopi Alexandrini disputationes jugulatum, statim absque Synodo evanuit.

CLXI.

Diabolus nihilominus, ut mirabilis Proteus, subinde in alias formarum nubes sese induit, ut hoc augustissimum mysterium ex Ecclesia & mentibus hominū eriperet, aut fumis
infer-

infernalis lumen in hac doctrina cœleste offuscaret, & qui scopus ipsi præcipuus, honori Filij Dei, quem capitaliter maxime odit, sceleratè detraheret, & multa millia hominum secum per præcepta in abyssum tenebrarum extimarum abreptos damnaret.

CLXII.

Organis hanc ad rem deinceps usus fuit fastuoso Samosateno, versipelli Ario, & callidissimo Photino, qui, ut heresiarcha, familias omnium subsequentium Antitrinitariorum, duxerunt, οἱ χειρομάχοι, hoc est, perduelles & hostes Deitatis Christi immanes. Et neq; inter hos per omnia fuit consensus: Paulus Samosatenus enim, à patria ita cognominatus, furiosissime contendit, τὸν λόγον, Filium Dei, de quo in Iohanne 1. vers. 1. Evangelista concionatur, in veteri testamento nihil nisi decretum in mente Dei fuisse, & Christum ex Maria τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως suæ accepisse, quemadmodum Athanasius de Incarnatione, To. 1. pag. 492. scribit: in quem Deus postea descenderit, Athanasio ibidem pag. 462. teste: quam opinionem erroneam & blasphemam tandem Nestorius recoxit: Samosateni autem heresis in Synodo Antiochena anno Christi 274. condemnata est.

CLXIII.

Huic novum flabellum Satan substituit, videlicet Arium, qui astu videri voluit aliquid amplius largiri Christianis, quòd nimirum ὁ λόγος seu Christus etiam fuerit persona & Filius Dei in veteri Testamento, per quem omnia facta sint. Interim pariter cum Samosateno veram & æternam Deitatem, & quòd Πατρί ὁμοούσιος, hoc est, una & eadem essentia ac natura cum Patre eterno sit, negavit, Christos Dei nomen, non per naturam, sed per gratiam, compe-

69
competere, quem Deus ab initio ante omnes creaturas condi-
derit, & per eundem postea orbem creavit, sine fronte affir-
mavit; ideo frequenter hac subdola loquendi formam in Syn-
agoga ipsius usi sunt: ἦν ποτε, ὅτε ἦν, scilicet ὁ λόγος:
ut & illa altera: ὁ λόγος ἦν ἐξ ὄντων. Hinc à nonnullis
Exucontij dicti sunt. Ipse Arius autem propter hoc funestum
ac blasphemum dogma in Oecumenico Niceno. i. Concilio an-
no 328. hereseus capitalis convictus & damnatus fuit.

CLXIV.

Ejusdem venenum nihilominus subinde recrudescens
totum Orientem tandem infecit, & cum alijs subsecutis
hereticis, Nestorianis scilicet & Eutychianis, Iudaeos in-
citate obfirmans, Mahumeti viam stravit. Arianiq;
se invicem etiam malitia & furore superarunt & vicerunt,
alijs, qui mitiores, concedentibus, Filium Patri esse ὁμοιον
ἢ ὁμοίσιον, id est, similem, & coadorandum. Alij, e contra
rigidiores, inter quos Aetius & impurissimus Eunomius, re-
clamarunt, & τὸν λόγον planè ἀνόμοιον seu dissimilem, & sic
naturam ac cultum à Patre diversum esse, contentiose tradide-
runt, ideo ab Orthodoxis Ariomanita & Anomai appellati,
quod cognomen etiam in Athanasii Dialogis de Trinitate
Dialogista Ariano impositum fuit.

CLXV.

Post hac autem Diabolum, latius sibi fenestram aper-
tam ubi vidit, cepit penitere consilij Ariani, & Photinum
excitavit, qui ingenij acumine fretus, Arianum dogma,
ut ditatam & distruncatam opinionem, despiciatui habuit,
quod scilicet Christo nimium tribueret: & ad horribilem
Samosateni vomitum redijt, hujusq; atrocissimam blasphe-
miam longè lateq; dilaudatam propagavit, Orthodoxos de-
testans & Arianos ridens. Ejusdem doctrina in Syrmienti
quidem Synodo, in qua Orthodoxi & Ariani consilia & vi-

70

res contra novos Samosatenarios conjungebant, fuit anathemate percussa anno Christi 351. Ast nihilominus etiamnum hodie, Deo ingrati seculi, adversus lucem veritatis manifesta nauseam puniente, inter colubros Antitrinitarios dominatur.

CLXVI.

Macedonius etiam navavit, contra doctrinam de Sacrosancta Trinitate, fidelem Sathanae operam, & intactam relinquens Deitatem τὸ λόγος, contra Spiritum sanctum saltem insurrexit, quem creaturam esse docuit, propterea τὸν ὁμοούσιον & appellatus: cujus scelestae haeresis in secundo universali concilio, Constantinopolitano videlicet, anno Christi 383. refutata & anathemate ex Ecclesia ejecta fuit, ubi simul Nicanum Symbolum repetitum confirmatumq; & auctarium confessionis de Deitate Spiritus sancti additum est.

CLXVII.

Quemadmodum autem omnes hi Antitrinitarij conspirant in eo, ut 1. Christi aut Spiritus sancti Deitatem veram negent. 2. Iustitiam nostram, non merito Christi, sed, secundum primam, Cainicam scilicet, haeresin, propriis cuiusq; meritis ascribant, Christo etiam ut plurimum cultum invocationis abrogantes. 3. Sacramenta saltem nuda professionis Symbola, & haec non esse admodum hodie necessaria, opinentur: ita contra Sacrosanctam Trinitatem insanientes, rationem humanam cum divina sapientia, disparata cum disparatis, modum generationis scilicet inter nos vermiculos, cum modo generationis θεογενεῖς, nec non essentias finitas, mutabiles ac divisibiles, cum numine immenso, & Spiritu infinito, purissimo, indivisibiliq;, quantum in ipsis, confundunt: Et hoc pacto se & alios seducunt, inq; tricas absurdorum, impossibilium, & contradictionum
apud

apud ipsos inextricabiles, unde ferè omnes principales eorundem Sophisticationes promanant, conjiciunt; neq; aliter Deum, quàm homines & bruta, gignere posse, sine mente cum Turcis & ludæis occæcatis concludunt: Et hac ratione, vel in ignorationem elenchi, vel causæ ac consequentis fallaciam incurrunt, aut secundum quid pueriliter ludunt, ab ipso Sathana ita turpiter fascinati, & ludibrium facti. Et hi verè sunt ἐζωρημένοι ὑπὸ τοῦ Διαβόλου εἰς τὸ αὐτὸ θέλημα, 2. Ti. 2. v. 26.

CLXVIII.

Multi interim horum vasa in suis scriptis πειθανολογία ad seducendum incautos & inconstantes utantur, vaniloqui & seductores, non Christiani, sed χριστέμποροι, id est, Christum mercatores, fraude circumferentes illius nomen, errores venenatos dulcibus alloquiis, velut mulso aconitum miscentes, ut suavissimo sapore deceptus gustandi sensus incaute mortem hauriat, quemadmodum Ignatius hereticos describit in Epistola ad Trallianos. Licet enim interdum scripture verba allegent: tamen genuinum sensum suffurantur, quemadmodum Athanasius Arianis exemplum Sathana, Christum in eremo tentantis, accommodat, To. 1. p. 113. inquiens: λέγει μὲν τὰ ῥήματα, κλέπτει δὲ τὴν διάνοιαν τὴν ἀληθῆ.

CLXIX.

Contra omnes nihilominus Antitrinitarios, immo contra portas inferorum, firmum & inconcussum stat mysterium Sacrosanctæ Trinitatis, de quo, nitentes codice Prophetico & Apostolico, testimonioq; Spiritus sancti, secundum Verbum in nobis confirmato, cum Basilio Magno lib. 5. contra Eunomium, & cum omnibus Christofidelibus ita gloriamur: καὶ ἀρρήγνυται οἱ αἰετικοὶ, ὁ ἀρρήγνυται ἡ τριάς, ὁ σεβάσμιός ἐστιν ἐν μιᾷ καὶ αἰδίῳ δόξῃ, τὴν αὐτὴν καὶ μίαν θεότητα πάντα καὶ ὡς φέρουσι, ἀρρήκτου, ἀχίτου, ἀδιαιρέτου, πάντα πληροῦσα, πάντα ἐπιέχουσα, ἐν πάσιν ἔσουσα, δημιουργοῦσα, κυβερνώσα, ἀγιάζουσα, καὶ ζωοποιῶσα. αὐτὴ ἡ θεὸς καὶ δαιμασιώτης



72

Ἐπιπλοκὴ δ' ἀσπρήγνυται καὶ τὸ γεγραμμένον ὅτι τὸ τρίπλο-
κὸν σπαρτίον δ' ἀσπρήγνυται. Hoc est, Etsi dirumpuntur
heretici, Trinitas tamen non dirumpitur: Et est colenda in
una & aeterna gloria, unam & eandem Deitatem ubiq; cir-
cumgerens, irrupta, inscissa, indivisibilis, adimplens o-
mnia, omnia continens, in omnibus existens, creans, guber-
nans, sanctificans, vivificans. Hec divina & admirabilis
catena non dirumpitur, ut scriptum est: Funiculus triplex
non dirumpitur, Eccles. 4. v. 12.

CLXX.

Candidatorum Ministerij autem & studiosae juven-
tutis est, dare operam, ut per Dei gratiam & justam adhibi-
tam diligentiam, non solum tenax sit fidelis sermonis, qui
ad doctrinam facit, ut possit exhortari per doctrinam sa-
nam, verum etiam ut evadat δυνατὸς ἐλέγχειν τὰς ἀντιλέγον-
τας. Tit. 1. vers. 9. quia, secundum Hilarium, lib. 8. de
Trinit. non sufficit nobis, docuisse, quae pia sunt, nisi piissi-
ma ea esse, per id intelligantur, dum, quae impia sunt, re-
felluntur.

CLXXI.

Nec tamen cuivis omnes strophas Antitrinitariorum
expeditè dissolvere in promptu cum sit (artificiosa enim so-
phistica saepe latet) Christofideles, more Alexandri, nodum
Gordium indissolubilem ferro secantis, gladio verbi etiam
sophismata perplexa discindenda norint, abicientes & pro-
culcantes, quicquid manifestis sacrae scripturae Oraculis con-
tradicit, & contra immotam veritatem argutando cavilla-
tur. Nam fides constans respuit captiosas & inutiles qua-
estiones Philosophiae, neq; humanarum ineptiarum fallacys
succumbens, spoliium se praebet veritas falsitati, ut Hilarius
lib. 1. De Trinitate scribere non vereatur.

Nec



CLXXII.

Nec omnes, qui Christi participes sunt, ut ait Fulgen-
tius libro de Fide Orthodoxa ad Donatum p. 131, etiam re-
spondendo possunt defensare, quod credunt; sed etiam illa
pars est profectò victoria, ut, quandiu quis sermone non
potest defendere veritatem, fideli tamen corde devitet er-
rorem.

CLXXIII.

Ceterum omnes fideles seriò, Deo preces adhibeant, ut
per ipsius paternam gratiam, Hac casti maneant in relli-
gione nepotes, & aures etiam claudant adversus profano-
rum Paganorum, Iudeorum, Mahumetistarum, & omni-
um Antitrinitariorum, infaustos & blasphemos ululatus:
Quemadmodum Irenaeus veteres fecisse Celtas scribit, lib.
3. cap. 4. quòd videlicet, licet literarum characteribus,
atramento, pennis, & chartis, carerent, doctrinam salu-
tis tamen, Apostolico Symbolo comprehensam, tam constan-
ter retinuerint, ut diversum quippiam docentibus ne aures
quidem praeberè sustinerent.

CLXXIV.

Colophonem ergo huic disputationi contra τὰς ἀρεῖς &
hostes S. S. Trinitatis instituta, imponat ardentissima, &
verbis densò gemitu ingeminatis concepta precatiuncula
Philippi Melancthonis, τοῦ ἐν ὁσίοις, quam To. 1, pag. 495,
ita scriptam reliquit:

AGO tibi gratias, vere Deus, Omnipoten-
s, eterne Pater Domini nostri Jesu Chri-
sti, conditor cœli & terræ, & hominum, &
Ecclesiae tuæ, unà cum Filio tuo, Domino no-
stro

K

stro

stro Jesu Christo, & Spiritu sancto, quod te
immensâ misericordiâ toties patefecisti, &
vis agnosci à nobis, & vis nos in vera agni-
tione tui tibi copulatos esse: & misisti filium,
& donas nos Spiritu sancto tuo, ut vera tui
agnitio in nobis accendatur. Oro te, propter
Filium, accende corda nostra Spiritu sancto
tuo, ut vera tui agnitio in nobis accendatur.
Oro te propter filium, accende corda nostra
Spiritu sancto tuo, ut te verè agnosca-
mus, verè invocemus, tibi verè
obediamus, tibi gratias
agamus, AMEN.



Acro-

75

CVIVS EST FACTA
MENTIO SUPERIVS IN THE-

fi 140. ut sub finem libri Octavi Oracu-
lorum Sibyllinorum extat:

Ἰδρώσῃ δὲ χθῶν, κρείσσεως σημεῖον ὄτ' ἔσαι.
Ἥξει δ' ἔρανόθεν βασιλῶς αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σάρκα παρῶν πᾶσαν κρῖναι, ἢ κόσμον ἅπαντα.
Ὅψονται δὲ θεὸν μέρορες πισοὶ καὶ ἄπιστοι
Ἵψισον μὲ τῶν ἀγίων ὅπῃ τέρμα χρόνιο
Σαρκοφόρων αἰθρώπων ψυχὰς βήματι κρῖνων,
Χέρσῃ ὅταν ποτε κόσμῳ ὅλῃ ἢ ἀκάνθα γενῆ.
Ῥίψουσιν δ' ἰδῶλα βροτῶν καὶ πλῆθον ἅπαντα.
Ἐκκαύσῃ δὲ τὸ πῦρ γῆν, ἔρανον ἠδὲ θάλασσαν,
Ἰχνεῦον φλέξει δὲ πύλας εἰρηλῆς αἶδαο.
Σάρξ τότε πᾶσα βροτῶν ἐπελῶθέρμον φάσῃ ἤξει
τῶν ἀγίων ἀνόμους δὲ τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
Ὅσπασαί τις πρᾶξας ἔλαθον, τότε πάντα λαλήσῃ.
Στήθεα γὰρ ζοφόντα θεὸς φωσῆρσιν ἀνοίξει.
Θρήνῃ δ' ἐκ πάντων ἤξει καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ἐκλείψει ἡ φάος, ἑλάσῃ ἡλίοιο καὶ ἄστρον
Ὀυρανὸν εἰλίξει, μήνης δὲ τε φέγγῃ ὀλείται.
Ἵψώσῃ ἡ φάραγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βροτῶν.
Ἵψῃ δ' ὀκέει λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανείται.
Ἰσάτ' ὄρη πεδίοις ἔσαι, καὶ πᾶσι θάλασσα
Ὀυκέει πλῆν ἔξει. γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῶ
Σὺν πηγαῖς ποταμοὶ δέκε καχλάζοντες ἰσθίν.
Σάλπιγγ' δὲ ἔρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσῃ,
ἀρεύσου μύσῃ μελέων ἐπήματα κόσμου.
Ταρεῖρεον ἡ χάσῃ τότε δείξει γαῖα χανῆσα.
Ἥξει δὲ ὅπῃ βήμα θεῶ βασιλῆες ἅπαντες.
Ῥάσῃ δὲ ἔρανόθεν ποταμὸς, πῦρ ἠδέ τε θεῖον.

K 2

Ex



EX CONSTANTINI IMPE-
RATORIS ORATIONE AD SAN-
ctorum cætum, cap. 18, apud
Eusebium;

Aliter atq; a- I udicis adventu magni sudore videbis:
ter hanc acro- E manare solum: tunc rex æternus ab arce
stichida red- S ydereæ præsens carni jus dicet & orbi,
ditam vide V t spectare Deum pia gens atq; impia possit,
ap. Nicepho- S ublimem carne humanâ sanctâq; catervâ
rū à sine, p. C inctum, supremoq; homines qui iudicet ævo.
956. Et ap. H æc erit omnis humus vepres & tristis arena.
Augustinum R escindent simulacra homines, aurumq; repellēt,
de C. D. lib. I ncendentq; avidæ terram, mare, sydera, flammæ:
18. c. 23. S tabunt functorum sub apertum corpora lumen,
T erraq; mens & sancto illo splendore patebit
V oce latens facinus, quod gessit, quisq; loquetur,
S ubdolaq; humani pendentur pectoris antra.
D ira mali facies, pavor undiq; & undiq; luctæ:
E t jubar involvent Solis, stellasq; tenebræ:
I am vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther.
F erre caput valles, disiectis alpibus, imas:
I usserit: humanum culmen fastusq; jacebit,
L ataq; planities montes æquabit, & altum
I n tactum rate stabit, & urent fulmina terras,
V nâ deficient flagrans cum fontibus amnis,
S tridula de cœlo tuba fundet lugubre murmur,
S úpre mumq; orbi canet exitiabile carmen,
E t subito Stygium chaos apparebit hiatu,
R egnantumq; Dei celebrabit turba tribunal.

V ndaq;

77
Vndaq; sulphureæ fluet alto ex æthere flammæ;
Aflabit mortale genusq; insigne coruscans,
Trabs sancta, in rectis animis optabile robur,
Omnibus una pijs vitæ melioris origo:
Rursus vesani dolor atq; offensio mundi,
Collustrans undis duodeno in fonte fideles,
Regnabit late pascens ferrea virga,
Vnus & æternus Deus hic Servator & idem
Xristus pro nobis passus, quem carmina signant.

F I N I S.

Anno,

DeVs nobis CVM.



78



Error typorum, à lectore, cui libet,
corrigenodus.

Prior numerus thesin, posterior lineam significat.

10, 6. Sir. 34. 27, penult. Φανερόν δὲ. 55, penult. Iliad.
β. 56, 6. πολυ θεότητα. 57, 4. necessariò. 58, 9. τίνων. 70, 11.
ὁ Fili. 75, titul. LXXVI. 77, 2. Idololatriis. 118, 5. sinu.
120, 5. magno. 144, 4. respondit. 147. 1. 2. sententia. 152.
1. 7. 8. 159, 2. Manichaeos. 169, in fine, θαυμασιώτατη.

3f 4456

ULB Halle 3
004 343 964





↓
H.

DM

N.C.







RINA
TRINI-
TIS THESI-
 THESISIBUS
 hensa
um proposita in Illu-
Anhaldinorum Gy-
estano,
VLRICO SS.
 n Professore P.
 DENTE
 ONE, HOIMEN-
urialis hypo-
alo,
horâ antemeridiana
 II. Maij.
 STÆ
 chariæ Dörfferi.
 DC. XI.

L.

